



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,  
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,  
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ  
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXV. De legibus, & auctoritatibus legalibus, cum quibus, in  
ordinatoriis, vel decisoriis, judicandum, vel procedendum est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

stentabilis sit stylus, ut infra brevem terminum, unius vel duorum, sive ad summum trium dierum, sententia validè proferri valeat, sed non ultra, 2. *Burratt.* decif. 727. num. 3. decif. 131. num. 2. & seqq. post *Vivian.* de iur. patr. *Carili.* decif. 272. add. ad *Gregor.* decif. 73. *Bibl.* dec. 501. in principio.

<sup>26</sup> Cumque replicare consueverim de consimili stylo Curiae habendi terminum citationis pro servato, unde propterea duret per idem spatium decem dierum, in aliis Tribunalibus, & in illo Rota per quindecim; Quinimò in ultima Rota in qua induntur vacationes generales astivæ per longius, usque scilicet ad Congregationem generalem expeditionum cum quibusdam majoribus exorbitantibus, que insinuantur in relatione Curiae agendo de Rota Auditorio, in relatione Curiae disc. 32.

Negari tamen consuevit styli conformitas, quoniam licet in Curia, naturaliter, & de facto, sententia pro frequentiori praxi, proferatur in decima die, atq; pene in ultima hora labentis hujus termini habitu pro servato; Attamen per quamdam retroractionem, adjicitur illa prima dies iuridica, in qua citatio cadebat, adeòut ex tunc sententiatum dicatur cum tali rigore, quod ex illa die currat terminus decem dierum à iure datus ad appellandum, unde propterea contingit illa exorbitantia, que in prefata rubrica Auditorii Rotæ insinuata est, quod scilicet prius sequitur res judicata, quam sequatur sententia. E converso autem, juxta dictum alterum stylum, publicatio, seu lectura sententiae, non habet hanc retroactionem, sed adnotatur in ipsa die, in qua revera actus fiat, & consequenter extra terminum cadentis citationis.

Quamvis autem, juxta conditionem Advocatorum, sustinendi, modo unam opinionem, & modo alteram, juxta causarum diversas contingentias; Ego obtinuerim pluries, ac plures hujusmodi nullitatis canonizationem, stantibus Rotæ decisionibus, que id explicitè firmant, adeòut quandò è converso occasio dedit sustinendi contrarium (quod libentius, & cum majori sensu veritatis agebam ut potè prefati stylis consicci) non de facili id sustinere fuit concepsum, ob auctoritatem decisionum Rotatum, que contrarium firmant ut supra.

<sup>27</sup> Attamen intellectus, hujusmodi resolutionibus nunquam acquievit, cum spectato effectu, stylus videatur uniformis illi, quem servat Curia ut supra; Neque desideranda videtur illius formalis justificatio (ut quasdoque Rota responderem confuevit) *Othob.* decif. 176. num. 3. *Ianuen.* separationis thori 24. Aprilis 1654. coram *Meltio*, & in aliis, cum ille videatur notior, atque de eo tanquam tali, & indubitate passim loquantur illius regionis DD. Et consequenter videtur quidam irrationalis rigor, qui iudicis speciem redoleat.

Neque considerabilis videtur<sup>1</sup> dicta ratio differentia, utpote redolens quandam meram formalitatem, non autem effectum, vel substantiam veritatis, que revera est eadem; Quinimò magis exorbitans à jure videtur iste stylus Curiae, quam ille, cum iste complectet quandam speciem simulationis vel fictionis; Ideoque incongruum videtur, ut melior, magisque commendabilis, ac juri conformis dici mereatur ille stylus, qui mendacum, atque fictionem continet quam ille, qui magis sincerè procedit cum naturali veritate.

<sup>28</sup> Non requiritur autem hæc citatio, ubi agatur de sententia prolatâ Parte præsentâ, cum tunc ha- *Card.* de *Luca de iudiciis & judicialibus.*

beatur finis, ob quem citatio concienda est, dum modo tamen præsentia accedat, in ipso actu prolationis; Secus autem si enunciatur præsentia in aliquo contraditorio, vel congresu, qui præcesserit, cum ille dicatur actus potius extrajudicialis, & præparatorius.

Non est opus autem, ut expectetur lapsus integræ diei, in qua terminus cadas, sed sufficit quod actus sequatur in hora consueta audiencie, atque aliquando sententia proferri valet ipsam die, in qua citatio concepta, & exequuta est, quoties contra presentem personaliter facta sit expresse ad hodie, in tali tamen hora, quod congrue comparere potuerit coram judice ad ipsam sententiam audiendam. *Seraphin.* decif. 115. in dicta ianuen. separationis thori 27. Novembris 1652. & 24. Aprilis 1654. coram *Meltio* decif. 233. num. 10. par. 7. rec.

Plures item dari solent à DD. limitationes super hujus citationis cessante necessitate; Quando scilicet agatur de notorio omnino certo, & indubito, *Gab.* de *citat. concl.* 1. num. 5. Vel quando certum sit quod citato nulla competit defensio, add. ad *Burratt.* decif. 116. decif. 191. num. 5. par. 10. rec. *Bich.* decif. 589. num. 13. (Quod tamen nimium rarum est, ut ad praxim reducatur;) Sive ubi agatur de sententia supremi Principis, vel supremi Magistratus; *Bich.* dicta decif. 589. Aut ubi de sententia arbitrientali ob facultates, que per Partes arbitriss datae sint, *supra* disc. 11. Sive ubi agatur de contumacia, *supra* disc. 9. cum similibus; Attamen hujusmodi limitationes præsertim in Curia, forte nullam, vel nimium raram habent praxim, neque de facili certam recipiunt regulam, cum totum pendeat à Tribunalium stylis, vel à causarum qualitate, & circumstantiis. Solumque in Congregatione Baronum (quatenus ad Curiae praxim pertinet) iste defectus quandoque negliigi consuevit, *irr.* de *feud.* disc. 95. & <sup>31</sup> in relatione Curiae disc. 28. *Bich.* dicta decif. 589. Non agitur autem de Sacris Congregationibus Cardinalium, cum illæ non constituant formalia Tribunalia contentiosa cum ordine judicij, ut de illis agendo in relatione Curiae advertitur.

Super negativa hujus citationis disputari quandoque solet, idque pendet ab integritate actorum, an scilicet ad sint, necone integrè illa acta, ex quibus de affirmativa constare debet, quoniam integritate non accedit convinci non potest negativa, quam excludit contraria possibilis, dum in dubio præsumptio est pro validitate in exclusionem nullitatis. *Martin.* *Andr.* decif. 9. & 19. *Cavaler.* dec. 35. & 535. *Burratt.* & add. decif. 264. *Bich.* dicta decif. 589. add. ad *Gregor.* dec. 416. & *infra* disc. 37. & 38. agendo de transportatione actorum, & de nullitate.

De legibus, & auctoritatibus, cum quibus, in ordinatoriis, vel de cisis, judicandum, vel procedendum est.

#### SVMMARIVM.

<sup>1</sup> *Instructa causa,* super eius determinatione affu-

muntur questiones.

<sup>2</sup> *Quod hodie legalis facultas, vel ars iudicandi & consulendi sit longè difficultor quam de tempore*

- tempore Romanae Republicae, & de ratione.
- 3 Recensentur omnes materia legales forenses, que  
hodie in iure habentur, & que antiquo iuri civili  
ignota, vel respectivè cognita sunt.
- 4 Quare hodie procedatur per inquisitionem in crimi-  
nalibus.
- 5 Antiqui Iuris Consulti hodie in foro practico essent  
imperiti.
- 6 De difficultate resultante ex contrarietate Dollos-  
rum antiquorum Iuris Consulorum, & de  
differentia inter tempora antiqua, & moderna.
- 7 Damnatitur usus consiliorum.
- 8 De eodem de quo num. 2.
- 9 Quod hodie requiratur maius tempus in studio theo-  
rica.
- 10 Quare in Caria Romana munus iudicis vel Advo-  
cati sit difficultas quam alibi.
- 11 Quale ius in indicando tenendum sit.
- 12 Distinguuntur plures species legum, seu Iuris.
- 13 De distinctione iuris divini eiusque diversis specie-  
bus.
- 14 De iure naturali, & de illo gentium.
- 15 De iure Civili communi.
- 16 De iure Canonico communi quale sit.
- 17 De decreto Gratiani an contineat ius Canonico-  
cum.
- 18 De iure feudali communi.
- 19 De iure peculiari, vel particulari, eiusque diversis  
speciebus.
- 20 Quod leges totius Principatus vel ditionis dici non  
debeat municipales, sed potius ins commune, &  
quodmodo obseruentur leges civiles Romano-  
rum.
- 21 Et quid in foro Ecclesiastico.
- 22 De distinctione Civitatum subditarum, & non sub-  
ditarum quoad eorum statuta & leges.
- 23 De eodem, & de aliquibus Civitatibus subditis que  
fecerint leges in statu libertatis.
- 24 De duplice iure Canonico communi, & particulari,  
& de pluribus eius speciebus, & de illo iure Cano-  
nico, quod habeatur tanquam ius temporale status  
Ecclesiastici.
- 25 De iure consuetudinario.
- 26 Ius diuinum ante omnia est attendendum, neque illi  
lex positiva derogat, sed bene, Papa vel ius canonico  
cum illud declarant, dantur exempla.
- 27 Quando legi laicali tribuantur statuere super ius que-  
pendent iure divino.
- 28 Qualem declarationem, vel legem iudex in hoc se-  
qui debet.
- 29 Unde proveniant abusus, & inconvenientia.
- 30 De iure divino veteris Testamenti.
- 31 De iure naturae vel gentium, quod explicatur quale  
sit, & an ei derogetur, & de diversis speciebus iuri  
gentium.
- 32 De iure positivo eiusque distinctione inter canonicum  
& civile, sive prophanicum & temporale.
- 33 In quibus causis semper in omni foro, & inter quas-  
cumque causas servari debeat ius Canonico seu  
Ecclesiasticum.
- 34 In materia prescriptionis servandum est ius Cano-  
nicum in omni foro.
- 35 Iuramentum etiam in causis prophanicis operatur,  
ut attendi debeat ius Canonico etiam in foro  
laicali.
- 36 Idem in causis prophanicis, que pendent ab articulo  
Ecclesiastico puta usurvarum vel matrimonio, &  
quando in his iudex laicus seingerat.
- 37 In foro laicali cum laicus in causis indifferentibus est  
servandum ius civile seu laicale.
- 38 Recensentur causas in quibus clericus litiget in foro  
laicali.
- 39 Quale ius isto casu debeat servari, dantur distinc-  
tiones.
- 40 In causis feudi procedendum est cum legibus laicali-  
bus feudi, & in foro laicali etiam cum personis Ec-  
clesiasticis.
- 41 In foro Ecclesiastico regulariter procedi debet cum  
iure Canonico.
- 42 Quando etiam in hoc foro, & cum personis Eccle-  
siasticis procedi debeat cum iure civili.
- 43 De eodem super actibus gestis in statu laica-  
li.
- 44 Statutum alicuius Universitatis subalterna est pri-  
mo loco attendendum & quando.
- 45 Statutum loci particularis praevaleat statuto Civita-  
tis dominantis.
- 46 De eodem de quo supra n. 20: ut ius Principatus di-  
catur ibi commune.
- 47 Deficientibus iuribus particularibus, attendatur ius  
commune civile in foro seculari, & in eius defectum  
ius Canonicum.
- 48 His omnibus deficientibus recurrendum est ad ius  
Provinciarum, vel Civitatum adiacentium.
- 49 De iure Canonico seu Ecclesiastico, tam particulari  
quam communi, & de ordine inter ipsa.
- 50 Deficiente iure Canonico, an debeat recurri ad  
ius civile, vel potius ad traditiones Sanctorum Pa-  
trum.
- 51 De iudeis, qui vivunt inter Christianos præsertim  
in Italia.
- 52 Quale ius cum iudeis, vel inter eos debeat ser-  
viri.
- 53 Ubi statutum locale disponat quod in eius defectum,  
attendatur ius commune, quale sit istud ius, an  
commune omnibus vel illud Principatus, vel Civita-  
tis dominantis.
- 54 Conscriptudines loci subditi etiam contra ius atten-  
dantur, quare & quando.
- 55 Quid de iure scripto particulari, & præsertim de  
Constitutionibus synodalibus.
- 56 De non usu Concilii Tridentini in aliquibus lo-  
cis.
- 57 Leges laicales, quæ requisita desiderant, ut obli-  
gent.
- 58 Quid de legibus Papalibus, an in eis detur de non  
usu.
- 59 An leges de novo additæ in Codicibus modernis, ha-  
beant vim legum.
- 60 Quid de legibus quæ sint universales in toto Princi-  
patu, & quid requiratur, ut valeant, & sint obli-  
gatorie.
- 61 Civitates subditæ non possunt ordinare statuta præ-  
sertim contra ius sine licentia, vel approbatione  
Principis, & de duplice specie confirmationis.
- 62 De effectu, vel operatione in forma specifica, vel in  
forma communi,
- 63 Quomodo cognoscatur, an sit in forma specifica  
vel communi, & quid in confirmatione presump-  
ta.
- 64 De statutis Capitulorum, & Collegiorum.
- 65 Ius dubium magnam recipit interpretationem ab  
observantia cum declarationibus.
- 66 De differentia inter ius commune, & statutarium,  
seu municipale, quodque istud strictè, & rigorosè in-  
telligi debeat, probanda extensione, quod declara-  
tur.
- 67 Ubique commune vel particulare sit dubium, recur-  
rendum est ad interpretationes DD. vel ad decisio-  
nes Tribunalium.

- 68 Quod hodie cum interpretationibus, vel opinionibus DD. vel cum decisionibus Tribunalum procedatur, & de ratione.  
 69 Quare a ius textuum hodie non habeatur ut antiquitus in iudicando & confutando.  
 70 Quod primo loco attendi debeat stylus iudicandi Tribunalis in quo causa pendeat.  
 71 Qualis propriè dicatur stylus Tribunalis, dantur aliqua exempla.  
 72 De differentia inter stylum in decisoriis, & in ordinatoriis.  
 73 Quod deficiente stylo, primum locum occupent decisiones Tribunalum cum distinctione.  
 74 De aliis decisionibus, & de differentia inter diversas species decisionum.  
 75 Quod in hoc adaptentur termini fidei, quæ testibus probanda est.  
 76 De aliis auctoritatibus DD. eorumque gradibus, & de modo eas attendendi.  
 77 Quid principaliter in doctrinis, ac decisionibus attendi debeat.  
 78 An sit potius deferendum auctoritatibus quam rationibus, vel è contra.  
 79 Quare hodie non intrent labores, qui habebantur apud antiquiores super cumulo auctoritatum, & allegationum.  
 80 Quale iudicium desuper dari valeat, & quomodo index se gerere debeat.  
 81 Quales partes concurrent debent in iudicibus, & quibus assimilentur.  
 82 De questione an lex sit effectus voluntatis, vel effectus rationis, & ad quid serviat.  
 83 De propositione, quod doctrina punctualis attendi debet pro casu legis.  
 84 De aliis regulis tenendis in auctoritatibus Doctorum.  
 85 Quare necessaria sit scientia theoria seu scholastica, & num 90.  
 86 Sunt distinguendi etiam casus, eorumque diverse circumstantiae.  
 87 De legibus novis, quando trahantur ad præterita.  
 88 De stylis eorumque diversitate, & qui attendi debet per delegatum vel per exequitatem.  
 89 De legibus & statutis laicalibus cum clericis, & ex empiti.  
 90 De eodem de quo num. 85.  
 91 De aliis ad materiam.

## DISC. XXXV.

**A**bsoluto processu, juxta ordinem superiorum recensitum, adeòt causa instruta sit, atque posita sub Judice in limine expeditionis; In hoc statu caduntur quæstiones juris super modo illam determinandi, utrumque Partium contendente, ut si bi potius juris dispositio affluit, tam super negotii principis determinatione, quam circa intentate actionis, vel judicij competentiam, sive processus bene, vel male servatum ordinem; Cum etenim Reorum si fugere, eorumque victoria consistat in non jure Actoris, sive illud ratione justitiae, sive ratione ordinis, vel incompetentiæ actionis proveniat, unde propterea quando absolorioriam reportare non valeant in meritis super suarum exceptionum canonizatione, illam reportare student ab illius judicij observatione, sive quod illius processus ædificium corrut, atque cogatur Actor ex integrum alium inchoare, supra disc. 2. Hinc propterea, Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

tam in decisoriis, quam in ordinatoriis, ista juris inspectio cadit.

Nostris autem temporibus, longè majores, Judicium ac defensorum labores, & difficultates desuper dignoscuntur ideoque longe major doctrina, & peritia necessaria est, quam in aëdo celebatis antique Romanæ Reipublicæ, vel imperii, Jurisconsultis & Senatoribus dignosceretur, quoniam tunc in universo Imperio, quod totum ferat Orbem complectebatur, tanquam in unica ditione unoque Imperio, unica lex habebatur ab codem legislatore edita; ideoque non habebatur tam magna legum, ac Principum diversitas, qualis hodie habetur.

Ac etiam, quia, major pars juridicarum quæstionum forensium, quas hodie habemus, ex eiusdem Imperii scissura, totque nationum, & dominiorum diversitate, illis ignota erat, adeòt ad pauca corum eruditio restringi videretur, laicalem forum, prophanaque vel temporales materias tantum concernientia; Hodie vero, ultra adeò notabilem generali diversitatem, inter ius canonicum, & civile, sive inter forum ecclesiasticum, & tempore, ipsaque materias spirituales & prophanas; Adhuc in singulis causarum generibus vel materiis, magna legum vel quæstionum diversitas dignoscitur, atque major pars illarum materiarum, quas hodie habemus, antiquis Romanis ignota erat, ut legum civilium tenor comprobaret.

Retento siquidem hujus Theatri ordine, ignota erat illa feudalis materia de qua in primo libro agitur, dum, sive à Longobardis, sive à Normandis, sive à Germanis feudorum usus derivaverit, hoc unum est quod, ut earundem legum civilium tenor ostendit, hæc materia tunc ignota erat, tit. de feud. disc. 2. & 8. & per rot. lib. 1.

Quamvis item aliqua modica pars illorum iurium regalium, de quibus in secundo libro agitur, eidem juri innotesceret, adhuc tamen major pars ignota erat, dum pleraque bona & iuris quæ tunc nullius erant; adeòt primò occupantis fierent, sive etiam juris privati, nunc Principis vel Reipublicæ effecta sunt, atque tractari solent sub Regalium termino seu vocabulo, quod eisdem legibus est ignotum, dict. disc. 2. de feud. & tot. tit. de Regal. lib. 2.

Aliquam modicam partem eorum, quæ in tertio Jurisdictionis, ac præminentiarum libro continentur, antiquiores agnoverunt, circa scilicet maiorem vel minorem competentiam Judicium, & Magistratum, eiusdem fori laicalis; Vele circa aliquas jurisdictiones, vel præminentias Civitatum; Ignota vero erat, major, ac notabilior pars jurisdictionalium quæstionum, inter utrumque forum, ecclesiasticum, & laicale; Ac etiam in quolibet eorum genere, inter plures Princes, sive inter diversos hierarchicos ordines ecclesiasticos lib. 3. tit. de iuris. & foro compert. Ut etiam in præminentiarum materia dignoscitur, eod. lib. 3. tit. de præminent. dum aliquod parvum lumen corum, quæ ad ecclesiasticas dignitates seu præminentias pertinent, aliquæ novissima Gracorum leges, post Imperii translationem præbent.

Servitutum, & emphyteusis, ac locationis & conductionis materia, quæ in quarto libro continetur, Romanis notæ quidem erant; Adhuc tamen materia retractum, quam hodie ex municipalibus legibus habemus pene ignota erat, lib. 4. de servit. ad materiam retractum.

Latius vero tunc patebat, atque frequentius forum occupabat illa, quæ hodie nimium rara.

M 2 penæ.

Peneque nobis ignota est materia servitutum personalium, quæ secum trahet quæstiones peculiares, ac manumissionum, nec non status, vel juris patronatus prophani; Sive quæstiones 1. Aquilia, & similes, quæ nobis in foro penè ignota sunt, ad eum scholasticorum pabulum remanere videantur; Id autem provenit ex prohibitione, quam lex christiana induxit, ut christianus christianū servum non faciat, unde propterea adeo frequentium postliminii ac legis Cornelie quæstionum, hodie quædam modicas reliquias, sive raram imaginem in foro habemus, sub vir. de feud. disc. 5 8. tit. de benef. disc. 16.

Omnino autem ignotæ erant, usurarum, & cambiorum ac censuum materiæ, quæ, in libro quinto continentur; lib. 5. tit. de usur. tit. de camb. & tit. de censib. Illi siquidem census, de quibus leges civiles agunt, diversam habent speciem eorum, quos referat vivos dicimus; Illa vero hodie frequentior species eorum, quos dicimus confignatiuos, ignota erat; Quinimò antiquis etiam canonibus ignota, cum ab aliarum regionum, Germania præsertim, & Hispania usu, iste contractus derivaverit, non ante Martini quinti temporis inter Apostolicas Constitutiones, vel alias leges notus sit, de censib. in supplemento in Romana reductionis cœn. jum.

Idemque in cambiis literariis sequutum esse, ob Romani Imperii scissuram, totque dominiorum inducitam diversitatem, magis communis scribenium schola docet; dicitur it. de cambis disc. 1. & seqq. Et quamvis de usuris leges civiles agant, eas tamen lex canonica, pro divinae legis obseruantia, in utroque foro apud catholicos damnavit, ac abolevit, unde propterea longè diversa est earum hodierna tractatio, quam antiqua.

Societas verò officiorum, de quibus in eodem libro agitur, ne dum antiquis, sed etiam modernis ignotæ sunt, extra Curiam Romanam, cuius peculiariæ & singularis iste contractus videtur; eod. lib. 5. tit. de societ. offic.

Dotalis materia, quæ in sexto libro continetur, multum quidem apud antiquos tractata est; Adhuc tamen super lucris dotalibus nimium apud modernos alterata, cum illæ donations propter nuptias, de quibus antiquæ leges agunt, rem diversam ab his lucris contineant, unde propterea eas ab aula recessisse, communis est traditio, ut è converso de consequenti probabilius est, quod ab aula recesserit antiquæ prohibitiō, ne dotum fidejussiones dentur, multaque aliae dignoscuntur differentiæ, lib. 6. tit. de dote.

Donations quoque ac etiam emptiones, & venditiones, aliæque alienationes vel prohibiti contratu, de quibus in septimo libro agitur, quamvis antiquis innotescerent, nimiumque frequenter apud eos agerentur; Adhuc tamen hodie circa hujusmodi materias quam plura habentur, cœs ignota, sive notabiliter alterata; Ut (ex. gr.) sunt donations contemplatione matrimonii, de quibus in ea forma in qua hodiè in usu habemus, leges civiles non agunt; Ac etiam sunt illæ ab eis prohibiti donationes, aliqui contra eum inter conjuges, vel inter patrem & filium respectivè prohibiti, ratione jura menti ex canonica lege revalidati; Sive sunt alienationes honorum Ecclesiæ, ac etiam illæ alterationes quæ in alienationibus, & contratu minorum & mulierum super quibusdam majoribus solemnitatibus per adeo frequentes præsertim Italæ leges municipales introducuntur, sicut adeo notabiles dignoscuntur differentiæ, lib. 7. tit. de donat. tit. de emption. & vend. & tit. de alienat. & contractib. prohib.

Ut etiam dignosci videntur, in debitis, & creditis & currentis commerciis quæstionibus, de quibus in octavo libro agitur, vel circa assecrations, vel circa literas cambii, aliaque multa in eodem libro contenta, quæ à moderno usu, atque à legibus municipalibus potius irrepescit, constat eisdem antiquis legibus ignota, lib. 8. tit. de credito, & debito.

Testamentorum ac hæreditatum, nec non legitimæ & trebellianicæ, aliarumque detractionum materiæ, quæ in nono libro continentur, antiquis quidem, cum majori rigore, longeque majori scrupulose innocentes, unde propterea majores oriebantur quæstiones ob eas formalitates, quas ipsam leges civiles Gracorum in parte temperarunt, circa hæreditis institutionem, in parte vero auxerunt, circa privilegia legitimæ, ac circa testamenteriorum solemnitatis; Adhuc tamen notabiliter diversus est hodiernus usus, præterim in materia testamentaria, dum antiquis, ignota erat, apud modernos frequentior illa testandi forma mixta, quæ de utraque, solemnis, & nuncupativi specie resultat, quam sub nuncupationis implicita vocabulo explicamus; Prout etiam in prophanis, ac non privilegiatis ultimi voluntatibus, quæ ab eisdem legibus civilibus normam recipiunt, ignotus forte antiquis erat modernus, adeo frequens ac penè generalis usus redigendi testamenta, aliasque ultimas voluntates ab initio, in ipsomet actu testandi, eodemque testatore vivente, ad formam publicam, unde propterea penè abolite sunt ille scrupulosæ solemnitatis, quæ in recognitione & in apertura, vel respectivè in publicatione requirebantur, ut etiam hodie requirentur, quando in antiqua forma privata id sequeretur.

Ignotaque erat etiam ea testandi forma, quam in terris Ecclesiæ etiam in prophanis coram parocho & duobus testibus, ex iuri canonici dispositione habemus; Ac alia duas species, quæ nullis iuriis positivi subjacent solemnitatibus, sed sola probatio naturali contenta sunt, ut contingit in ultimis voluntatibus, ad pias causas, ac in illis, quæ ex Principiis indultis præsertim verò Summi Pontificis ita fiunt; Quamvis istæ duas species normam accepisse videantur, ab ipsarum legum dispositione in testamentis quæ inter liberos fiunt; Neque defunt regiones, in quibus, ex particularibus legibus scriptis, vel non scriptis, longe diversam formam testamentia habeant, lib. 9. tit. de testam.

Prout etiam legitimè privilegium super plenaria libertate, ac exemptione ab omni onere, moderna DD. cautela pene abolevit; Quinimò in plurimque partibus leges municipales illius obstantiam destruxerunt, atque recepta modernorum traditio illas detractionum prohibitions recepit, quas antiquæ leges dannant, præsertim circa detractionem trebellianicæ, quæ filii primi gradus competat, eod. lib. 9. de legitim. & de tract.

Illaque libertas, quæ beneficiato hæredi per novissimas leges civiles conceditur, tutè ac impune solvendi creditoribus vel legatariis primo venientibus, per modernorum judiciofam, ac rationabilem praxim, nimium restricta est; Aliæque plures circa hæreditates vel hæredes introductæ sunt alterations antiquis ignotæ, eod. lib. 9. tit. de hæred.

Fideicommissa, de quibus in decimo libro agitur, apud antiquos quidem frequentius ac fortè magis quam apud modernos in usu erant; Adhuc tamen notabilem reperunt alterationem circa multas quæstiones excitatas per ipsarum legum Interpretes post earum inventionem sive restitu tionem

tionem ab illis tenebris, sub quibus sex saeculorum spatio & ultra steterunt; Tum etiam ab majoratum & primogenitorum introductiones hodie adeo frequentes, quorum usum apud antiquos non fuisse ipsarum legum tenor ostendit. Adeo hodierna fideicommissaria materia longe magis pateat, multisq; secat novis terminis & questionibus, qua in antiquis legibus non habentur, lib. 10. tit. de fideicommissis.

In legatis, de quibus in *undecimo libro* agitur; Ubi de prophanis agatur, modica dignoscit videtur differentia inter antiquos, & modernos, dum cum ipsarum legum civilium regulis proceditur; Adhuc tamen aliqua habentur diversitates seu alterationes. Vel circa moderationem antiqui rigoris *Liberianus senatus consulti*; Vel circa falciditatem prohibitorum quae resultert a clausulis salutaribus, ex quibus legata, eam recipiunt firmitatem, quam ex dictarum legum rigore non haberent. Generaliter vero in iis, quae ad prius causas facta sint, eadem inolevit diversitas vel alteratio, qua in testamentis insinuata est, super exemptione a quibusdam juris positivi solemnibus lib. 11. tit. de legat.

Et quamvis, etiam hodie, in materia intestata successionis, de qua eodem *undecimo libro* agitur cum ipsarum legum civilium dispositione & ordine, in ipsomet foro ecclesiastico procedatur, dum lex canonica nil desuper innovasse videtur; Adhuc tamen, & quidem magna dignoscit differentia seu alteratio, qua statutariis, vel particularibus legibus derivat; Ac etiam aliqua ab ipso jure canonico moderante illas secundo nubentium poenam, que non concernant favorem liberorum primi matrimonii, eodem lib. 11. de success. ab intest.

Penè autem ignotam esse antiquis materiam renunciationum in eodem libro *undecimo* contentam, juxta illum usum, quem moderni habent, ipsarum legum tenor probare videtur; Quinimò & ipsam ignotam esse ipsi primis ac antiquioribus Interpretibus post inventionem, quibus comparatione antiquorum Jurisconsultorum Romanae Reipub. modernorum vocabulum congruere solet, eod. lib. 11. de renunciat.

Item plerique legum civilium rigores qui prius vigeant circa conventions, & pacæ, quæ viventum, hereditates & successiones concernunt; Sive ratione juramenti; Sive ex illa consuetudinib; Aut ex non scripta rationabili æquitate, magna pariter alterationem receperunt, eod. tit. de renunciat. lib. 11. & lib. 10. tit. de fideicommiss. disc. 141.

Omnino autem ignotæ antiquis erant quamplures, atque in Romana præsertim Curia, adeo frequentes ecclesiastica vel spirituale questiones ecclesiasticorum beneficiorum, & canonicatum, ac parochialium, nec non electionis, & ecclesiastici jurispatronatus, & ecclesiasticarum pensionum, ac decimatum; Ac etiam saecularium, & regularium clericorum, nec non Episcoporum, aliorumque Prælatorum, vel censurarum, ac sacramentorum aliorumque divinorum, de quibus in *duodecimo*, de *cimotero*, & *decimo quarto libro* agitur, lib. 12. tit. de beneficiis, Canonis & parochis, & lib. 13. de jure patro- nat. & de pensionib; & lib. 14. in titulis de Regu- laribus & in *Miscellan.* Ecclesiastico & in aliis.

Et quamvis nuptialis seu matrimonialis materia in eodem *decimo quarto libro* peracta, antiquis nota sit, atque in civilibus legibus tractata habeatur; At- tamen longe diversus est hujus materiae præsens status ab antiquo; Tum ratione forma nuper indu-

etæ à Concilio Tridentino; Tum etiam ratione libertatis, quæ per sacros Canones demandata est, Carius vero per idem Concilium, abolendo illas restrictiones, quas à consensu parentum, & ab aliis in jure civili dispositis, illud patiebatur, cum plurime diversis dispositionibus, unde propterea in eo dignoscitur omnimoda diversitas, eod. lib. 14. tit. de matrim.

Eademque, ac major differentia dignoscitur inter illud jus patronatus libertorum vel sepulchrorum, de quo leges civiles agunt, ab illo patronatu ecclesiastico de quo hodie in foro agi contingit; Ut etiam in decimis, ac aliis hujusmodi, in quibus vocabula, utramque speciem, prophanam scilicet, & ecclesiasticam complectuntur, dicto lib. 13. de jure patron.

Judiciorum demum pariter, nimium diversus est status, Si quidem in criminalibus jus civile distinguunt publica a privatis, ad denotandum, in quibusdam cuiuslibet accusandi libertas daretur, & in quibus id non nisi, qui injuriam passi sunt id competenter, raro dando casus inquisitionis ex officio; Hodiè vero, quamvis neque regula generalis quibuscumque locis, & casibus applicabilis defuerit statutum valeat, ob tot principatum, vel Tribunalium diversos styllos, & leges; Pro frequentiori tamen praxi, penè ubique recepta, quasi in omnibus, inquisitio intrat, atque ex officio proceditur; Ex ea differentia ratione, quod apud Romanos cum prudentissimi politicis regulis usus inolevit, ut sine aliquo dedecore, etiam extraneis, qui nullum intereste haberent, vel injuriam passi essent, pro Reipublica quiete, & tranquillitate, licitum esset, accusatoris, vel instigatoris partes assumere, quinimò ad meritum, & laudem id potius referebatur, juxta ea, quæ de Censoriis Catonibus, & dealiis zelantibus patriis, vel civibus apud antiquos chronicistas habentur, Hodiè vero in ipsiusmet offendis, vel injuriam passis, nedum nobilibus, sed etiam mediocris civilitatis, indecorum, ac verecundum reputatur in judicio accusare, quasi quod cum privata vindicta in injuriam repulsare congruat, idque ad inquisitionem ex officio procedendum est; Prout etiam jure civili attento, publicatio bonorum non nisi pro utriusque divina & humana maiestatis lysis intrabat; juxta diversorum principatum styllos, quinimò juxta eiusdem principatus diversas provincias diversissima est praxis.

Hinc proinde si resurgerent illi peritissimi practici antique Curie Romanae, vel antiqui Capiroli, nunc prorsus idiota censendi venirent, dum non solum inter diversos principatus, vel ejusdem diversas provincias, sed inter eiusdem Civitatis, vel loci Judges, & Tribunalia, longe diversa est praxis nedum ubi fori diversitas accedat, quæ id rationabiliter causat, ut contingit inter forum ecclesiasticum, & laicalem, sed etiam inter plura Tribunalia eiusdem fori; Ut præsertim in Urbe praxis docet, quod diversissima est praxis fori capitolini, ab illa aliorum Tribunalium; Quinimò, & inter eadem dum in plerisque diversi sunt stylis Rota ab illis Camere, vel Auditoris Camere, & Vicarii, & sic pariter inter alia.

Major item difficultas apud modernos oritur, ob adeo magnum cumulum scriptorum, ex quibus de consequenti, tam magna irrepit opinionum diversitas, quæ inter Tribunalia quoque dignoscitur, etiam eiusdem principatus, vel Civitatis; Multo magis ubi diversitas principatus quoque accedit.

*Card. de Luca de iudicis & judicialibus.*

Ob istud autem inconveniens, quantum ex chronicis, vel ex libris, qui fortunā habuerunt exemptiōnis à sepultura oblivionis, atque apud nos remanerunt; Habebatur quidem magna copia voluminum continentium responsa prudentum, ac Principum Constitutiones usque ad bis mille volumina, & ultra, ex quibus corpus civile Pandectarum, & Codicis desumptum est, cum magna contrariaetate, vel superfluitate, inter ipsam et responsa, quae in plerisque etiam deficiebant, unde propterea, juxta dictum Poeta Hetrusci, Justianus, superflua substatuit, atque vana implevit; Attamen hujusmodi voluminibus, exequanda videntur nostra volumina decisionum Tribunalium, ut praesertim docet praxis Principis Magni Duci Herutriae, quod per officiales ad id particulariter deputatos, tanquam per speciem archivii conservantur illorum Tribunalium seu Rotarum decisiones, quae ibi motiva appellantur; Ut etiam in Curia (ex privatis tamen diligentius professorum) in Rotæ decisionibus praxis docet; Verum non habebatur, tam magna copia Interpretum, & Glossatorum, seu Repetentium, vel tractatus, & questiones ex privato labore peragentium.

Et quod peius, ac intolerabilius est, tam magna copia confiliorum, quibus, indebet responsorum nomen, seu terminus adhibetur, cum sint orationes, vel informationes venales ad pecuniam, vel ad opportunitatem editæ; Non quidem ad veritatem eruendam, seu elucidandam cum recta intentione respondendi in ea controversia prout de jure, sed potius cum fallacibus, & apparentibus argumentis, & captiosa consarcinatione conclusionum ad ipsam veritatem velandam, & offuscandam; Ideoque certum est, quod longe difficilior dicenda est legalis forensis facultas de presenti, quam temporibus antiqui Romani Imperii, quando solam legum civiliū peritiam habere sufficiebat, ut penè ubique terrarum tanquam in unico principatu, qui cum eiusdem legibus ac stylis viveret, quis sapiens, ac peritus esset; Hodiè vero, tanta est diversitas, quod non solum peritissimi, ac primarii professores unius Civitatis, vel principatus, quodammodo irrisione digni sunt, apud professores alterius; Sed quod magis est, in una eademque Civitate, illi professores, qui in aliquibus Tribunalibus versantur, peritissimi quidem sunt in illis materiis, que in iis Tribunalibus aguntur, prorsus autem in experti in aliis.

Atque hinc sequitur, quod si Julianianus, attento eo tempore, in quo una lex civilis tantum habebatur in universo Orbe uniformis, atque per ipsum ad illum ordinem, ac aliqua brevia volumina redacta, congruum, & necessarium reputavit quinquennale scholasticum studium, priusquam judicandi, vel respondendi de jure, munus assumatur; Quid igitur dicendum erit hodie, quod nedum legum civilium, sed Canonum, Conciliorum Apostolicarum Constitutionum, legum feudalium, & tot legum municipalium, ac etiam aliquam dogmaticam, & moralis theologiae peritiam habere oportet; Omniemque istorum iurum peritia non sufficit, nisi major ac difficilior interpretum & scriptorum peritia habeatur, ut vera magisque recepta opinione minus veris, minusque communibus, sive limitationes a regulis distinguui valent; Et tamen nec unus quidem annus in scholastico, & theorico studio adhiberi solet.

Magis autem, quam alibi, in Romana Curia, in Judicibus & defensoribus, seu de jure respondentibus, ista magna difficultas dignoscitur, dum ob

utriusque pontificii, & temporalis principatus unionem in uno Principe, Et consequenter, ob utriusque fori competentiam, ac unionem in uno Tribunalis, in omnibus præmissis, ac aliis adeo inter se diversis materiis, ad utrumque forum respectivè pertinentibus, & quæ cum adeo diversis legibus; Civilibus, Canonis, Theologicis, Feudalibus; Et municipalibus regulandæ sunt; Adeo ut frequenter, in una, eademque hora, de jure responderet oporteat super omnibus adeo diversis iuribus, vel materiis, dum alibi (et præmissum est) ad eas tantum materias, Judicium, & Advocatorum peritia restringitur, quas agant illa Tribunalia, in quibus, tanquam Judices, vel tanquam Advocati versentur.

Praesupposita, itaque ista peritia, in ipsis Judicibus, vel in eorum Assessoribus & Consiliariis; Ac etiam stante tam magna legum, & opinionum diversitate; Quatenus ad rem nostram pertinet, cum quibus sciunt legibus, vel stylis, in causarum decisionibus, vel ordinationibus procedendum sit.

Reflexendum in primis est, ad ipsarum legum diversitatem, ac naturam, seu qualitatem causarum, ut in singulis, cum illis respectivè legibus diversis, procedi debet, quas subjecta materia patiatur; 11 Dum in aliquibus causis cum pure civili; In aliis cum canonico; In aliis cum feudali; In aliis cum municipal, vel consuetudinario jure est judicandum; Et in aliis, cum regulis theologicas.

Quare pro ista congrua applicatione, distinguendo diversas legum seu juris species; Aliud (juxta nostrorum majorum divisiones), est jus Divinum; Aliud naturale, Aliud gentium; Aliud civile commune; Aliud canonicum commune; Aliud civile particolare, seu municipale; Et Aliud canonicum particolare.

Divinum subdistinguitur, in illud veteris & novi Testamenti; Atque istud posterius subdistinguitur, in expressum, ac directum, quod in Evangelio habetur, sive illud quod Ecclesia tanquam tale recipit ex traditionibus Apostolorum, qui ab ore Christi audierint; Et illud divinum, quod magis remotè provenit ab Ecclesia, ac Sanctorum Patrum magis receptis propositionibus, in quibus theologia præsertim dogmatica consistit, & quæ distinguunt catholicos, qui has propositiones amplectuntur, ab hereticis, & schismatis, qui eas respunt, seu amplecti nolunt.

Primum vero jus, subdistinguitur in primævum & secundarium; Ut primævum sit illud, quod a solo naturæ instinctu proveniens, tam hominibus, quam brutis, & animalibus commune sit; Secundarium vero illud, quod omnibus hominibus, pro sola humana conditione, absque regionem, vel nationem, ac morum diversitate, est omnibus commune, & uniforme; Illudque ab aliis, jus gentium primævum appellatur; Aliud vero jus gentium, quod secundarium dicitur, est illud, quod non proveniat à scripto jure civili Romanorum, & ex eius nova dispositione, sed sit circa ea, quæ prius plerique aliis gentibus, & nationibus communia, seu in usu erant.

Jus

<sup>15</sup> Jus civile, in eius lata significatione, omnes subsequentes species legum complectitur, quasi quod sit idem, ac illud genus seu vocabulum generale quod (excepto iure divino & naturali) omnes leges humanas sub se complectitur, & quod humanum, seu positivum dicitur; Verum in stricta significatione, iuxta loquendi usum legislatorum; Jus civile commune est propriè illud, quod est auctoritate Romanae Republicæ, seu Romani Imperii, conditum est, atq; est registratum juxta compilationem Justiniani, in quinquaginta libris Digestorum, seu Pandectarum, quæ tria constituentia volumina; Digesti scilicet Veteris, Infortiati, & Digesti novi; Ac etiam in eo volumine, cui Justinianei novi Codicis nomen tribuitur; Et in quinto quod dicitur Authentico rum, atque sub se continet plures Imperiales novellas Constitutiones, ac etiam quatuor libros Institutionum Imperialium; Unde propterea, ille Codex, qui Theodosianus dicitur, sive alii Codices, qui alterius quam Justinianii auctoritate compositi sunt, juris communis nomen, ac auctoritatem non merentur, nec habent.

<sup>16</sup> Jus canonicum commune est illud, quod continetur in quinque libris Decretalium juxta compilationem Gregorii IX & in altero, qui Sextus dicitur juxta compilationem Bonifacii VIII. ac etiam in Clementinis, & Extravagantibus, qui post eundem Sextum ex Apostolica Sedis auctoritate registrata sunt; Ac etiam in Conciliis generalibus a Sede Apostolica approbatis; Et in illis Apostolicis Constitutionibus, quæ per viam legis universalis per Papam uti Papam pro Ecclesia universaliter edita sunt,

<sup>17</sup> Quamvis etenim corpus canonicum ex alio quoque majori volumine constitui videatur, quod Decretum Gratiani dicitur; Revera tamen istud non habet legis, vel canonum auctoritatem, cum privati Doctoris collectionem contineat; Atque etenim aliqui canones in eo registrati, legis necessariam habent auctoritatem, quatenus ex seipso, eam secum ferant, quia nempe sunt aliorum Conciliorum generalium decreti ibi registrata, vel tales Sanctorum Patrum sententiae, quod eas tanquam canonicas, Ecclesia Catholicæ receptorum, Penit. dec. 480. & advertitur in pluribus materiis presertim lib. 14. in annot. ad Concil. Trident. disc. 28.

<sup>18</sup> Jus feudale quod pariter commune dicitur, ad differentiam illarum particularium legum, & Constitutionum, quæ super singulorum principiatuum feudis edite sunt; Sunt illæ consuetudines, quæ prius non scriptæ, in Lombardia, cum introductione feudorum, ex quodam tacito infendantium, & infideitorum consensu, ac usu servari coeperunt, illæque in scripturam privata auctoritate redacte fuerunt in eam, quam hodie habemus formam, per Obertum scilicet & Gerardum; Attamen quia in Italia, & Germania provinciis, in quibus magis feudorum usus invalidus, communiter recepte sunt; Idcirco authenticarum legum vim obtinuerunt, atque juris communis feudalis nomen, seu vocabulum fortissime sunt, tit. de feud. disc. 54 & alibi pluries eodem tit.

<sup>19</sup> Jus particular, seu municipale civile, id est prophanicum vel temporale, ab aliquibus explicatur, ut sit omne illud particularis jus, quod cum seculari potestate, in prophanicis materiis, conditum sit, ita confundendo Constitutiones, & Pragmaticas, quas Principes supremi ordinant pro universo principatu, vel ditione, cum Statutis particularibus, quæ fiunt per Civitates, vel per singula loca intra eo-

rum territoriorum, ita generaliter istud appellando jus statutarium, vel municipale, atque cum eisdem regulis, ac propositionibus tractando; Verum claram est æquivocum, quoniam sub nomine juris statutariorum, vel municipalium in temporalibus, propriè veniunt illa Statuta, vel ordinaciones, quæ fiunt per Civitates subditas, aliave inferiora loca, iuxta frequentem Italiam praxim; Sive per Barones, & domicellos pariter subditos, adeo ut non habeant facultatem derogandi juri communi, sub quo etiam inviti vivere debeant; Secus autem, ubi de legibus, & ordinationibus, quæ fiunt per Principem supremum, & absolutum, sive per feudarium dignitatis, qui habeat jus principatus, & regalia majora, & presertim istud derogandi, vel dispensandi legibus, easque denouo condendi; Aut de illis Civitatibus, quæ libertatem sibi vindicaverint, à quoquinque Principiæ vel dominante, adeo ut se gerant pro Republica, cum eodem jure principatus, & regalium, quamvis sub alicuius adjacentis Principiis protectione vivant.

His etenim casibus, erroneum est, huiusmodi leges appellare statutariorum, vel municipales, ab alia lege communi exorbitantes, quoniam verè, ac proprie sunt leges communes, & primariae principatus,

<sup>20</sup>

& quæ prævalere debent predictis legibus civilibus Romanorum, quibus usu nomen tribuitur; Siquidem juxta legalem historiam alibi insinuatam, tit. de servitut. disc.

1. Istæ leges Romanorum in singulis respectivè principatibus, vel dominis independentibus, habent vim legum, non ex auctoritate earum legislatoris, sed potius ex illa ipsius Principiis, vel Domini localis, vel ex illa ipsius Republicæ, quatenus illas servare placeat, neque in contrarium statuuntur; Ut habemus in Civitate Venetiarum;

Ideoque est potius jus subsidiarium, juxta illam comparationem, quam habemus in foro ecclesiastico, sive in terris Ecclesiæ, inter jus canonicum, & istud civile, quod scilicet civile attendendum est in subsidium, in illis casibus, in quibus per Canones non fuerit aliter prouisum ob eorumdem Canonum ordinationem, dicto disc. 1. de servitut. Ac propterea istud particolare jus

principatus, verè & propriè in eo est commune, Franch. decis. 148. num. 5. Rovit. decis. 78. num. 5. tit. de legitim & detract. discr. 10. num. 24. & alibi.

Dicitur autem particolare, adeo ut judicetur minoris auctoritatis, quam dictum jus commune civile Romanorum, eo quia non est commune pluribus aliis principatibus; Atque in eodem quoque principatu est inferius, ex eo quod in foro ecclesiastico non habet illam maiorem vim obligatoriam, quam habeat alterum jus commune Romanorum;

Non quidem ex se ipso, & ex propria virtute seu operatione, sed quia Canones istam vim huic juri communi Romanorum, ita recepto, non autem legibus particularibus principatus tribuerint.

Hinc proinde, frequens detegitur æquivocum modernorum Pragmaticorum, pro consuetâ similitudine procedentium in sola litera doctrinarium, super intelligentia, vel applicatione aliquorum antiquorum Interpretum, seu Consulentium, qui loquantur de legibus conditis per aliquas Civitates dominantes, ita confundendo alias Civitates subditas, quibus respectu pagorum, seu castrorum, & locorum existentium in eius territorio, vel distractu ad quosdam effectus, congruit iste terminus dominantis, cum illis Civitatibus, quæ juxta illorum temporum conditionem presertim in Italia, sive de

jure, sive de facto, libertatem sibi vindicaverant, atque pro Republica independenti cum jure principatus se gerebant; Et de qua specie Civitatum, ut plurimum illorum temporum scriptores loquuntur; Quoniam leges in eo statu per ipsas ordinatae sunt potius leges Principis, vel principatus, quam leges municipales Civitatis subditæ, que sub proprii Principis legibus vivere.

Magna etenim, valdeque notabilis est differentia, inter unam & alteram speciem legum, circa eorum observiam ac interpretationem; Quoniam ubi agitur de legibus ordinatis per Civitates subditas, que vivere cogantur, cum legibus principatus, sub quarum genere veniunt, etiam dictæ leges civiles Romanorum ut supra, adeo ut eis derogandi facultas non competit; nisi quatenus ipse Princeps concedat, vel approbet; Et tunc verè & proprie dicunt statutarium, vel municipale exorbitans à jure communi, eisque correctorum, & consequenter odiosum, quod strictè intelligendum est, iuxta illos rigores leguleicos, quos desuper habemus, cum subordinatione, vel passiva interpretatione ab ipso jure communi; Secus autem in altera specie, in qua potius procedunt ea, que de ipso jure communi habemus, dicto disc. 10. in. de legitim. & detract. & alibi.

Quare pro meo iudicio, quando agitur de interpretatione Statutorum aliquarum Civitatum Italie, que nunc subditæ sunt, & alicui principatu*23* incorporeatae, vel restituta; Ut præsertim sunt multæ Civitates Lombardie, & Hertruria, ac etiam Status Ecclesiastici, ut apud etiam infra mediocriter versato in historiis à duobus vel tribus faculis citra est notorium; Reflectendum videtur ad tempus vel status, in quo ea Civitas huiusmodi leges sibi ordinaverit, an scilicet esset in statu servitutis, & subjectionis, vel potius in statu libertatis, & Reipublice, cum juribus, & possessione principatus, ac regalium majorum, quoniam licet postmodum effeta sit subdita; Vel quia se commendaverit protectioni alicuius Principis, qui eius potentia crescente, de facto commendationis leges violando, cam tanquam subditam tractet; Vel quia ab eius civilibus potentibus, vel aliis tyrannis occupata, ut à tyranide se eximeret, alteri Principi se dederit; Aut quod alias vi bellica in istius dominatione devenierit, ita tamen, quod novus Dominus proprias leges jam ordinatas non abrogaverit, sed eas potius approbaverit, atque continuare passus sit, ac patiatur, & tunc erroneum videtur istas leges tractare, vel interpretari, cum eisdem regulis & propositionibus, cum quibus tractantur leges municipales, ordinatae per Civitates subditas, que sub alio jure vivere tenentur, cum maxima differentia adit inter unam, & alteram speciem, quodque alia est illa dominatio impropria potius æconomica, vel civilis, quam politica, & jure vere dominatio quam habeant subdita Civitates, que sint membra alicuius principatus in castris, & locis existentibus in proprio territorio, vel districtu, ex regula quod distriktuale dicuntur etiam cives, perinde, ac si in ipsa Civitate viverent; Et alia est illa dominatio vera, & major, que consideratur in huiusmodi Civitatibus non subditis, independentibus, se gerentibus pro Republica in aliqua sibi subjecta ditione, adeo ut non sint membrum alicuius principatus, vel ditionis, sed potius sint caput principatus proprii, quamvis iste postea regiminis formam mutaverit, quia nempe ex Aristocratico, vel Democratico,

sive utroque simul Monarchicum evaserit, cum id non collat habituale jus Republicæ.

Illud autem Jus canonicum, vel spirituale, quod non commune, sed particolare dicitur, triplicem quoque habet speciem, unum siquidem est illud jus canonicum, quod ordinatum est à Papa tanquam Papa, & Episcopo Ecclesie universalis, non tamen per viam legis perpetua, sed per viam aliquarum ordinationum ad eius arbitrium, quod cum vita terminet; Ut (ex gr.) sunt regulis Cancelleriae, que propterea considerantur tanquam jus particolare contradistinctum à jure communi; Ideoque apud Beneficialistas constituitur differentia inter reservationes clausas in corpore juris, vel illis quae continentur in dictis regulis Cancelleriae, *tit. de beneficiis pluries.*

Alterum est jus canonicum, etiam registratum in Decretalibus, vel in Bullario quod conditum sit à Papa tanquam Princeps temporali Status Ecclesiastici; Ut (exempli gratia.) præ ceteris est illud circa formam testandi, etiam in prophanis coram parocho, & duabus testibus; Sive est constitutio Ægidiana cum similibus, Et tunc dicuntur jus canonicum id est pontificium, eo quia Pontifex illud ordinaverit, sed non est jus canonicum commune pro toto Orbe, & Ecclesia universalis, ut est alterum factum à Papa tanquam Papa; Et sic comparativè dicitur potius jus particolare huius principatus; Sed non per hoc dicendum erit jus municipale vel statutarium exorbitans à jure communi, adeo ut cum regulis Statutorum particularium metiri debeat; Ac propterea error efficit manifestis, ita regulares Bullas & Constitutiones, ordinationes Apostolicas editas pro temporali regimine Status ecclesiastici immediati, eo modo quo regulantur Statuta particularia singularum Civitatum, quamvis eisdem Pontificis confirmationem habeant; Ut pariter error est, ita regulare Statuta particularia, vel consuetudines aliquarum Civitatum subditorum Regni Neapolitani vel magni Ducatus Herruria, eo modo quo Pragmaticas, & Constitutiones ipsius Regis, vel Magni Duci pro universo Regno, vel Ducatu respectuè, cum similibus.

Aliud verò est jus canonicum, vel spirituale magis particolare, quod comparandum videtur iuri particulari vel municipali prophano ordinato per Civitates subditas, vel per Barones, & domicellos subditos ut supra; Et istud consistit in Constitutionibus Synodalibus, quas faciunt Episcopi in eorum diœcesi, vel Archiepiscopi in eorum provincia, sive quandoque, iuxta majores, vel minores facultates, quas faciunt legati in eorum legatione.

Adest demum quoddam jus particolare magis subordinatum, ac restrictum, sive fit spirituale, sive temporale, quod sibi faciunt castra, & loca subdita alicui Civitati, cum sola auctoritate eisdem Civitatibus, vel propria; Sive aliqua Collegia, putat Doctorum, vel Mercatorum; Aut aliqua Universitates artium, sive Capitula Cathedralium, vel Collegiarum; Aut aliqua academia, seu universitates studiorum cum similibus.

Omnis istæ superioris recensita species legum, cadunt sub genere juris scripti, & ultra istud adest aliud genus juris non scripti, cui ad differentiam non legum, sed consuetudinum nomen seu vocabulum tribuitur, illudque adamassum continet sub se easdem species supra consideratas in iure particolare, contradictione à jure communi civili vel canonico; Quod scilicet alia est consuetudo totius principatus

cipatus, & alia est consuetudo magis particularis alicuius Civitatis, vel loci subditu & membris particularis eiusdem principatus.

His itaque ita praeonotatis; Quatenas pertinet ad praedictarum legum ordinem tenendum in iudicando, super earum observantia, vel auctoritate; 26 Primum locum occupat lex divina, qua alterius legis concursum, praetatum, vel corrective non admittit, cum nulla detur potestas, qua illi valeat licet derogare vel generaliter dispensare, etiam illa Summi Pontificis, cui solum, ac private at quo cunque tamquam Dei Vicario in terris conceditur facultas idem jus interpretandi, sive in aliquibus casibus particularibus ex justa causa, qua eadem legi, virtualiter inest, declarandi, quod non obliget vel non obstat; Utputa, Juris divini est ex magis communi, & recepta Canonistarum, & Theologorum sententia, immunitas ecclesiastica localis, personalis, vel realis, ac etiam est usura, cum similibus, adeo ut non possit Summus Pontifex generaliter, ac indefinitè immunitati derogare, vel usuras canonizare; Et tamen in casibus particularibus, ex aliqua causa, lictum est declarare, seu decernere, quod immunitas non intret, vel non competit, puta declarando, quod aliqui criminosi ecclesiastice immunitatis localis praesidio indigni sint; Vel quod clerici ob aliqua enormia sclera, sive ob aliqua reuicta non servata, personali immunitate fori non portantur; Aut quod idem subjaceret debeant aliquibus gabellis & oneribus ratione mercatura, vel ratione oneris infixi illis bonis, qua ad eos transierint; Sive quia Princeps laicus huiusmodi onerum proventus iis applicet usibus vel operibus, in quibus etiam clerici contribuere debeat.

Prout in materia usuraria, quamvis jus pontificium usuras in genere canonizare non valeat, quoniam estet derogare, vel dispensare juri Divino; Adhuc tamen in plerisque casibus, generalibus, vel particularibus, declarat, an usuraria infectio adsit, nec ne.

Ut etiam habemus in homicidio sine dubio de jure divino prohibito, & tamen lex positiva canonica in plerisque casibus illud licitum, seu non criminosum declarat, puta in ministerio Iustitia, qui condemnatos ad mortem occidit; Sive in illo homicidio, quod patratur in bello publico, & justo, aut in eo quod sequatur ad propriam defensionem, vim vi repellendo, quoties adit moderamente in culpa tutela, neque alias oportune consuli valeat, declarando, quando istud moderamentum adesse dicatur, nec ne; Vel in homicidio casuali, cum suis declarationibus, ac aliqua procedat culpa, sive, an licite, vel illicite rei opera daretur.

Ita quoque juris jurandi religio, sive observantia sine dubio est juris divini, adeo ut jus humanum etiam pontificium in genere decernere non valeat, quod juramentum non sit obligatorium, sed tamen in aliquibus casibus particularibus, vel in aliquibus generibus personarum, & contractuum ex aliqua justa causa dolii, vel metus saltim presumpti, & ratione boni publici declarat, illud non esse obligatorium, cum plerisque similibus.

Non autem omni humana legi, vel potestati id conceditur, sed pontificie tantum in iis, qua juris sunt, laicali vero legi, vel potestati decernere conceditur super iis, qua sunt facti, ex quo de consequenti oriatur jus, tamquam certum, ut putam non potest laicalis potestas declarare, quales contractus dicendi sunt usurarii, & quales non, sive quando ju-

ramentum sit obligatorium, nec ne; Aut quando dicta triplex immunitas, localis, personalis, & realis, de jure competit, vel non competit; Sive an matrimonium sit validum, vel invalidum ratione non liberi consensus, vel clandestinitatis, aut raptus, &c. Benè tamen potest, non pro eo, quod respiciat supernaturalem, sed pro eo, quod respiciat Reipublicae tranquillitatem, & administrationem, decernere, seu statuere super iis, qua facti sunt, puta presumendo in contractu jurato vim, & metum, vel colum, ut propterea de consequenti juramentum corruiat, & non sit obligatorium; Sive demandando etiam sub pœnis observantiam eorum, qua à jure divino demandata sunt absque violatione ecclesiastica iurisdictionis, sed potius pro eius executione, puta in punitione raptoris, vel adhibentis colum, vim, & metum in matrimonio, sive occurrendo ne idem metus vis, aut dolus adhibeat, ita providendo circa temporalitatem, ac ea qua facti sunt.

Quando itaque lex laicalis, præter potestatem sibi concessam, statueret super iis, qua iuris sunt, diversimodè ab eo quod disponat lex ecclesiastica, 28 super observantiam eorum, qua à jure Divino manant; Et tunc Judex debet seque interpretationem seu legem ecclesiasticam non autem laicalem, dum alias dicitur laedi ius divinum, quod alium non habet Inter pretem, nisi cum, qui Dei Vicarius est in terris; Secùs autem ubi figendo pedes super illa declaratione vel presumptione facti, quam lex laicalis induxit illatio, seu consequentia iuris clara & certa sit, ex ipiusmet iuris ecclesiastici vel pontificii certa dispositione.

Verùm quotidiani abusus, ut contingit penè in omnibus materiis forensibus, illis prefertum, que vertant inter utramque potestatem, consistunt in mala applicatione, vel sinistra praxi huius theorice, 29 quam generaliter ac in verbis omnes admittunt, factis autem vere negant, ac non servant, ita capiendo quid pro quo, seu confundendo unum casum cum altero.

Distingui item solet, ut supra, hoc ius divinum, inter illud veteris & novi Testamenti; Ut istud posterius indefinitè obliget; Alterum vero iuxta superius insinuatam distinctionem inter morale, mysticum, seu ceremoniale & iudiciale; Ut prima species indefinitè obliget; Aliæ vero duæ in aliquibus tantum partibus influant ad observantiam novæ legis post Christi Incarnationem & Passionem, per quam multa præsertim mystica evacuata sunt, atque cessarunt; Veram de his in praxi forensi, seu in externo iudicio, de qua agitur, non est inspicendum, cum potius ad interni fori professores id pertineat.

Post legem divinam, secundus & tertius locus tribuitur dictis legibus naturæ & gentium, cum 30 eadem prærogativa, ut eis lex positiva sive potestas humana derogare vel dispensare non valeat.

Quamvis autem ista propositio, omnium frequentius volitet, non solum per ora Professorum utriusque fori, sed etiam per illa omnium aliorum literatorum, illorum præfertum, qui polyticæ periodos, ac professores se credunt, (Et in qua nullus forte reperitur idiota, qui se peritissimum esse non presumat,) Attamen quo ad ea, qua externum forum, vel iudicium concernunt, non videtur quomodo istorum iurium observantia in praxi verificabilis dici valeat, cum nullibi unum vel alterum jus habeatur scriptum, illo excepto iure naturali, quod in præcep-

præceptis decalogi, sive in generico axiomate, ut *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, scriptum repetitur, in sacra pagina veteris, & novi Testamenti, unde propterea pro synonimis haberi solent, *jus divinum, & naturale*, adeo ut istud secundum *jus primo insit*.

Quo verò ad *jus gentium*, quod etiam per quādam impropriam loquitionem à Juristis naturale dici solet, Illud pleraque habet species, unde propterea erroneum est generaliter seu pariformiter de illo agere, eiisque terminos adhibere; Unum siquidem est illud *jus gentium*, quod ex quodam humano rationabili instinctu, ac perpetuo usu apud omnes Nationes servari consuevit, adeo ut eius violatio, naturam quodammodo seu humanum commercium offendere dicatur, quamvis inter inimicos vel hostes agatur; Ut sunt paces, vel federa; Aut armorum suspensiones, vel Oratorum immunitates, sive illæ affsecrations, quæ sub salvi conductus vel passaportus vocabulo vulgo explicari solent cum similibus, & super quibus barbara potius, quam humana reputari solet illa violatio, quæ in aliquo barbaro; & infideli Principatus potius quam inter fideles praxis quandoque docet; Et de hoc jure agere non pertinet ad professores fori externi pro iudicio contentiosos, cum potius id pertineat ad illam legem, quæ politica dicitur, atque huiusmodi violationis *Judeo* vel ulti sit potius *eventus belli*, sive ea maior vis bellica, quæ dicitur ultima ratio rerum; Et nihilominus etiam istud *jus cadit* sub dicto primo genere juris divini, per quod demandatur istius publicæ fiduci observantia, *de his aliqua in relatione Curia in disc. in quo agitur de Oratoribus Principum.*

Altera est juris naturæ vel gentium violatio, quæ inter privatos resulteret, ex illicita oppressione, vel injurya, cum homicidio, furto, rapina, adulterio, & similibus quæ ipsam naturam vel humanam societatem lœdunt; Et pariter istud *jus cadit* sub dicto primo genere juris divini, per quod omnia hæc prohibentur.

Tertia demum est species illius juris naturalis vel gentium, quod in legibus civilibus Romanorum, ita explicatur, ad exprimendum ea, quæ ex quodam instinctu naturæ, seu ex omnibus nationibus communi ratione humanæ societatis, vel humani commercii vigeant priusquam ipsum *Jus civile* à Romanis ordinaretur; Ut putà dici solent contractus permutationis, & similes contradicti. Et ab illis contractibus, qui proveniunt ex ipsius juris civilis invento, Sive sunt testamenta, & ultima voluntates; An *jus alimentorum*, quorum loco subrogata est legitima in descendenteribus, & ascenderibus; Sive est usus venationis, vel pescationis, aut navigationis, & similia quæ in præfatis legibus, vel apud eorum Interpretes juris naturæ vel gentium dicuntur; Et istius juris species ita impropriè dicitur, ad differentiam scilicet eorum, quæ de novo per ipsorum Romanorum leges civiles disposita sint; Reversa tamen cadit sub genere juris humani vel positivi, unde propterea, per humanam potestatem ei derogari, vel dispensari potest, ut alibi occasione agendi de ultimis voluntatibus, vel de legitima, seu de prohibitione venationis, & pescationis, & similibus latius advertitur, & consequenter non venit sub dicta regula juris divini directi primi generis, vel sub altera illius juris naturæ vel gentium, quod etiam divinum ut supra dicendum est, *de his tit. de legitimi. & detrac. disc. 10. Tit. de fideicommiss. disc. 1. 41. Tit. de feud. ad bullam Baronum disc. 73. cum plur. seqq. Et in tit. Miscellan. Ecol. disc. 41.*

Quatenus itaque pertinet ad *ius humanum*, quod in eius generali vocabulo, positivum, seu civile dicitur, complexivum omnium supra distinctionarum specierum; Illam in primis recipit generalis distinctionis, inter canonici, & civile, id est ecclesiastici & prophani, seu temporale, quia nœpe principiū, ab ecclesiastica vel spirituali potestate manet; Alterū verū à prophana seu laicali, quæ temporalis quoque dicitur, sive de jure communi, sive de particulari, vel municipali agatur; Unde propterea quæstio frequens cadit, quale *ius* in judicando servandum, vel adhibendum sit, an scilicet ecclesiasticum, quod canonicum dicitur, vel laicale seu temporale, quod ad differentiam dicitur civile.

In hoc autem causarum, vel respectivè personarum, aut Tribunalium qualitas, decidit quæstionem; Ubi etenim agitur de iis, quæ concernant materiam peccati, seu finem supernaturalem animæ, ac aeternæ salutis; Et tunc de quocumque personarum vel causarum seu Judicium genere agatur; *Jus ecclesiasticum* seu canonicum, etiam in foro laicali, & inter laicos attendi debet, quamvis de materiis, vel causis meiè temporalibus & prophani agatur, Ut (ex. gr.) habemus in materia præscriptionis quod per *ius canonicum* correcta est dispositio iuris civilis, in iis casibus, in quibus admittat præscriptionem, etiam absque requisito bona fidei, sine qua *ius canonicum* illam prohibet, quocumque temporis lapsu non obstante, ratione peccati, in quo versari dicitur ille, qui sciens rem non esse suam, sed alterius, illam detinet; Sive sciens se esse debitorem, solvere negligit, atque cum præsidio negligentia creditoris a debito liberari, atque de alieno locupletari studet, ideoque ista juris canonici dispositio, etiam in foro laicali inter personas seculares, & in causis temporalibus vel prophani attendenda est, supra disc. 21.

Ita pariter concurrentibus omnibus extremis temporalibus, ratione scilicet fori, cause, & personarum; Adhuc tamen ubi admixta sit jurisjurandi religio, ex regula quod juramentum legitimè præstatum, adeo ut non patiatur defectum naturalem confessum, ex vi, dolo, vel metu, aut errore, expresso, vel præsumpto, servari debeat, quoties absque intentio aeternæ salutis, & absque præjudicio morum, vel boni publici principaliter servari potest, cuiuscumque legis positiva prohibitione non obstante; Ut (ex. gr.) contingit in ea revalidatione, quod juramentum operatur in actu minoris vel mulieris, aut filii familias, sive inter patrem & filium, aut virum, & uxorem, juris civilis prohibitione non obstante cum similibus, quoniam etiam in foro laicali & inter laicos, in causis prophani, cum jure canonico potius quam cum civili procedendum est, ratione religionis.

Fortius verò ubi ipsa causa sit ecclesiastica vel spiritualis, à qua aliquod incidunt vel emergens tempore resulteret, de quo in foro laicali, & inter laicos agi contingat; Puta in materia matrimoniali, sive in materia usuraria, cum similibus, quoniam in jure canonico corrigitur, non autem cum civili correcto procedendum est.

Et quamvis, in materia præsertim usuraria, praxis doceat, quod pleraque Tribunalia secularia, diversas teneant, ac sequuntur opiniones ab iis, quas tenent, ac servant Curia Romana, & Tribunalia ecclesiastica; Puta decernendo interest etiam sine explicita justificatione requisitorum, quæ vulgo dicuntur *Pauli de Castro*, sive dando interesse fructuum cum similibus; Attamen id non provenit

ex eo quod neglecto jure canonico corrigente servetur jus civile correctum, sed provenit ex qualitate facti, quod scilicet in ea regione, ob eius mores, habentur pro notoriis ac probatis, illa requisita, quorum in Curia pro quadam formalitate specialis justificatio desideratur, & sic diversitas non est circa jus, sed circa factum, ex quo jus oritur, tit. de usur. pluries. Ad instar illius indirectae eervationis jura menti, que potestati seu legi seculari conceditur, presumendo absque alterius probationis necessitate, vim, & metum, vel dolum, seu errorem, &c. tit. de disc. 143. & tit. de alienat. & contract. probib. pluries.

Ubi vero præmissa vel similia, que spiritualiter, & consequenter forum animæ, seu finem supernaturalem concernant, cessant, adeo ut agatur de causis merè indifferenteribus, & prophani, inter personas seculares; Et tunc planum est, ut in foro laicali, sive (ut nostri dicunt) in terris Imperii, cum jure civili, seu temporali, judicandum sit, quamvis contrarium expresse disponatur in jure canonico, quod ita potius remanere jus civile se temporale Pontificis, tanquam Regis seu Principis temporalis, eius temporalis Ditionis, juxta superius insinuatum exemplum circa formam testandi in prophanis coram parocho, & duobus testibus, cum similibus.

Majores autem quæstiones desuper cadere solent, ubi agatur quidem de causis prophani, indifferenteribus in foro laicali, sed cum mixtura personas rum ecclesiasticarum, que in eo foro litigent cum laicis, ut contingit in clero Actor, qui contra laicum Reum in istius foro judicium instituerit; Sive in illis causis, in quibus idem clericus Actor, per viam reconvenerit, sit etiam Reus; Aut ubi a laico sit provocatus ex remedio diffamacionum; Vel quod sit evocatus tanquam Actor voluntarius, quatenus sua putaverit interest; Aut ratione bonorum habitorum ac ipsomet Judicis seculari; Sive ratione continuationis judicij coepit in statu habili, non obstante supervenienti eiusdem status mutatione, cum aliis similibus casibus, in quibus contingit, ut clericus, vel alia persona ecclesiastica judicetur à foro laicali, quamvis ab eo exempta, de his agitur tit. de jurisd. disc. 38. & seqq. & 94.

In istis itaque, vel similibus casibus, intrare solet quæstio, quale jus debeat servari, an canonicum, vel civile; Atque super hoc non modica dignoscitur pugna inter scribentes; Aliquis, iuxta consuetum vitium, factionario more adulantibus propriæ potestati; Ecclesiasticis scilicet pro jure ecclesiastico; Et laicus pro laicali vel civili, ideoque sustentibus, extrema vitiis; Et aliquibus, medium viam eligendos distinguenteribus, inter ordinatoria, & decisoria, ut in prima specie servari debeat jus civile, seu stylus illius Judicis Tribunalis secularis, coram quo causa penderit; In altera vero debeat servari jus canonicum, & perell. deos. 10. Rovit. super pragm. 2. de Cler. selvat. num. 16.

Verum iste, vel similes generalitates non videntur tutæ, potissimum, quia contrarium, in plerisque Tribunalibus praxis docet, ideoque verius videtur, quod ista non sit materia capax regulæ certæ & generalis, qua cuicunque casu sit applicabilis, sed quod decisio pendeat ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, attendendo præsertim, an clericus sit Actor, vel Reus, dum in casu, in quo est vere Actor, etiam in decisoriis proceditur cum jure civili seu prophano, attenta qualitate illius quid sit Reus, ex regula quod ecclesiasticus Actor sequi

debet forum laici, qui sit Reus; Et quando clericus sit reus, inspicendum est principium seu origo introductionis cause, vel contractus, de cuius observantia vel exequitione agatur, an scilicet id sequitum sit in statu seculari, qui postea sit immutatus, cum aliis similibus considerationibus profaci qualitate, magis vero pro Tribunalium stylis, quibus, sive de jure, sive de facto deferendum venit.

Cadit autem ista quæstio in illis causis indifferenteribus, in quibus si clericus litigaret, in suo foro ecclesiastico judicari deberet juxta dispositionem juris canonici; Secus autem ubi agatur de tali causa, ut de sui natura, non curata qualitate personæ, judicanda veniat juxta legem laicalem, quæ sit eius propria seu peculiaris; Puta in causis feudalibus, quoniam ex eorumdem Canonum dispositione Ecclesia, vel clericus qui possideat feudum ex concefione Domini laici, in iis quæ concernant ipsum feudum, istius foro subiaceat, ideoque indistinctè indicandus est iuxta leges feudales communes, vel illius principatus; Quoniam leges vel consuetudines feudales communes, etiam in foro ecclesiastico in iis, que feudum concernant, atque expresse non adverterunt ecclesiastica immunitati, seu libertati, servari debent, iuxta opinionem magis communiter receptam, quamvis non desint contradicentes, ut in sua peculiari materia latius adveritur, dicto disc. 5. 4. tit. de feud. & in aliis ibidem.

E converso autem, ubi causa tractetur in foro ecclesiastico; Et tunc aut nulla adest mixtura laicorum, adeo ut iudicium agatur inter personas æque ecclesiasticas, sive illi foro æque subiectas; Et planum est, ut cum iure canonico procedi debeat, quoties illud habeatur, subsidiariè autem cum civili, dum ita iidem Canones disponunt, ut supra.

Adhuc tamen aliqui dantur casus in quibus etiæ expresa differentia vigeat inter utrumque ius; Nihilominus civile potius, quam canonicum servari debeat, ratione diversitatis finis, vel respectus; Ut puta est modus computandi gradus consanguinitatis, vel proximitatis, quoniam diversus est ille, qui statuitur per ius civile, ab illo, qui præscribitur per canonicum, dum de iure civili qualibet persona facit gradum; De canonico autem quilibet gradus à duabus personis constituitur; Sed quoniam ius canonicum hunc ordinem præscriptum est unum effectum, illum scilicet impedimenti matrimonii; Jus autem civile, ad alterum diversum, inteflate, vel fideicommissariæ successionis, idcirco ex probabili sententia, etiam in foro canonico, & inter personas ecclesiasticas, in materia successionis proceditur iuxta computationem iuris civilis, dum ista non est contraria, sed diversitas pro diversitate respectuum, tit. de success. ab intestat. disc. 17.

Considerandum est præterea initium, sive origo actus, ex quo illud iudicium proveniat, quoniam si (ex. gr.) ille, qui nunc est clericus, & convenit in suo foro ecclesiastico ratione clericatus postea supervenient, in statu seculari fecerit contractum, vel alium aet. præter formam præscriptam à lege civili seu laicali, communis, vel particulari, adeo ut non sit validus, neque obligatorius; Eset tamen validus, & obligatorius de jure canonico, si fuisset clericus; Et tunc judicandum videtur cum ea lege laicali, quæ tunc servari debebat, attento scilicet tempore, in quo aet. initus est, dum mutatio status persona, immutare non debet naturam, seu qualitatem actus, qui tunc bene, vel respectivè malè initus fuerit, cum ista accidentalis mutatio causet solum

solum aliam accidentalem mutationem fori, non autem substantiam rei; tit. de dote disc. 143. tit. de credito disc. 116. in *Mistellan.* Ecclesiast. disc. 8. & aliib.

Hinc proinde in facti contingentia, plures dicere consuevi, quod etiam circa quaedam ordinatoria, seu circa formam judicij, specata est origine, servari debet illud jus, quod alias in eo foro servandum esset; Ut putat, Romana Curia non admittit, quod in foro ecclesiastico, & cum clericis, pro debito pecuniariorum, servetur forma judicij criminalis, quae juxta ritum M. Curie Vicariae Neapolis servatur, super incusatione instrumentorum, & è converso, illa Tribunalia laicalia, non admittunt, ut in foro seculari, contra laicos practicetur forma judicij exequitivoi obligationis camerale, quamvis debitor, juxta unam, vel respectivè alteram formam expresse se obligasset, quoties id gestum sit de tempore, quo persona erat respondebit in eo statu; Sed si aliquis dum erat secularis, juxta consuetam aliorum secularium regionis formam, se obligaverit ad formam dicti ritus, vel alterius consimilis legis laicalis; Aut dum esset clericus, se obligaverit iuxta dictam formam Camere, sive juxta aliam formam, cum qua ecclesiastici se obligant; Tunc nulla videatur subesse ratio, cur subsequens accidentalis mutatio status debeat facere cessare istam obligationem, atque tollere jus alteri, cuius favore facta est obligatio; Ideoque illa forma adhuc servari, seu praticari debet; Non quidem in vim illius legis, vel styli, ex quo ea proveniat; Minusque in illa forma precisa, & penala, ut praesertim est illa praefata ritus, sed tanquam ex parte exequitivo, ob quod processus exequitivus, & summarius adhiberi debeat, *dict. 116. de credito.*

Polito itaque, quod unum, vel respectivè alterum, ecclesiasticum, seu canonicum, vel è converso laicale, seu civile jus in genere debeat servari, ac attendi; Inrete autem qualiter inter plures eiusdem generis species; Et tunc, unum ab altero distinguendo; Quatenus pertinet ad laicale, seu civile, quod in forensi praxi est frequentius, cum illud sit complexivum plurium specierum, quae superioris distinctione sunt, præsupposita diversarum legum eiusdem generis validitate, cum suis requisitis, de quibus infra.

Primum locum in judicando occupat illud jus, quod supra ultimo loco est recensitum, nempe particolare, seu municipale, quod habeat aliqua Universitas subalterna, & quae comparativè ad Universitatem totius loci, singularem personam formalem representet, inter eiusdem tamem universitatem, vel corporis personas, seu membra subordinata, cum declarationibus, de quibus infra, circa maiorem, vel minorem huiusmodi iurium particularium operationem, quae pendet à majori vel minori auctoritate, ex qua robur accipit, ex regula quod jus proprium, & particolare prævalet juri magis generali, ut proxime infra.

Isto autem iure deficiente; Secundum locum occupat jus statutarium vel municipale ipsius loci, in quo sit controversia, vel de quo sint contendentes, quamvis ageretur de loco subdito alicui Civitati etiam subditæ, utpote, de comitatu, vel districtu, quoniam istud Statutum magis particolare, prævalit alteri statuto magis generali Civitatis dominantis, quod omnibus comitatibus vel districtibus est commune in defectum proprii Statuti particularis; Vel quia nullatenus exest, Vel quia causa controversia in eo sit omisssus, *tit. de dote disc. 34. tit. de success. disc. 41. tit. de alienat. & contrah. disc. 39. & sepius.*

Et successivè tertium locum occupat dictum Statutum Civitatis dominantis, quod prævalit infrascriptis aliis iuribus magis communibus.

Quartum occupat illud jus, quod est generale totius principatus, in quo, ut superioris insinuatum est, dicendum venit, potius jus commune, quam municipale, habens juris particularis nuncupationem, per quemdam modum loquendi, comparativè ad ius, quod est magis commune pluribus, ac diversis principatibus, & quod consistit in ipsis legibus Romanorum.

Et demum, ultimum occupat locum, in defectum omnium praecedentium, ius commune civile Romanorum; Et quando etiam istud in casu controversiae desit, ut frequenter contingit, quoniam plura sunt negotia, quam sint leges, unde propterea in dieis contingunt casus novi, tunc subintrat ius canonicum, *tit. de servitut. disc. 1.* Idque praesertim dicendum in Italia, tanquam lex notabilis principatus adjacentis facta per illum Principem, qui quandom habitualem, ac respectivè actualiem potestatem habet in toto Mundo, ut alibi advertitur *in relatione Curie disc. 2.*

Quando vero contingat, quod neque ius canonicum provideat, super casu controversia, quodque apud DD. ex principiis, vel ex mente unius, vel alterius iuris, ille non repateriatur decisus; Tunc recurrentum est ad leges aliorum Regnum, vel principatum adiacentium; Praesertim vero, ubi de legum civilium interpretatione agatur, est recurrentum ad leges Partitarum Hispania, utpote decumpas pro maiori parte ab eisdem legibus civilibus post eam inventionem, ac etiam ad alias leges eiusdem Hispania, quæ dicuntur fori, utpote in notabili parte derivata quoque à dictis legibus, & ex Codice qui per Reges Gothorum ad simulationem Codicis Justinianæ, compositu fuit, *dict. tit. de servit. disc. 1. & tit. de Regal. ad disc. 160. in supplemento, & tit. de success. disc. 41. num. 192. remiss.*

In altero autem genere Juris ecclesiastici seu canonici; Retinetur idem ordo comparativè, quod scilicet, prius attenditur jus magis particolare, quod consistit in legibus, vel Statutis alicuius Capituli, vel Collegii, aut alterius ecclesiastice Universitatis in iis, quæ se ipsam, eiusque membra concernunt; Postea vero attenduntur Constitutiones Synodales dictæ, Et in istarum defectum, successivè, & gradatum Constitutiones Synodales Provincia; Et demum ius canonicum, seu Pontificium generale, sive sit illud quod continetur in libris Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium, seu in Conciliis generalibus, vel in iis Apostolicis Constitutionibus, quæ per viam legis per Papam uti Papâ, pro Ecclesia universalis conditæ sint.

Isto autem iure quoque deficiente; Quamvis iidem canones disponant, ut ad leges civiles recurri debeat, unde propterea Doctores generaliter hanc firmiter propositionem; Attamen ea intelligenda venit pro subjecta materia exigentia, quoniam si agitur de re prophana seu temporali, id recte procedit, atque deficienteibus dictis legibus civilibus subintrant aliae leges laicales particulares ut supra; Sed si agitur de materia ecclesiastica vel spirituali, tunc recurrentum potius venit ad Sanctorum Patrum sententias, ac traditiones, vel ad regulas, seu propositiones Theologicas.

Procedunt haec omnia respectivè in professoribus eiusdem Christianæ Religionis, qui sub unius

Fidei

Fidei vexillo, in eadem humana societate vivant; Cadit autem difficultas respectu infidelium, in quibus, quoad proxim forentem, ista dubitandi ratio cadit solum pro Judaeis seu haereticis, qui mosiacam legem adhuc retinent, dum iorum incolatus inter Christianos cum libero & pacifico commercio proditionum diversitate permittitur, juxta praesertim penè generalem usum principatum Italia, illis exceptis, qui per Regem Catholicum possidentur. sit praesertim mentio it. de usur. disc. 6. & tit. de Regal. disc. 100. & sequ. & ubi ut infra.

In ipsis itaque intrat quæstio, an cessante mixtura Christianorum, adeo ut agatur de casibus, qui inter eos contingant, tam in ordinariis, quam in decisoriis, in judicando, procedi debeat cum lege Mosaica, ejusque Interpretibus, vel potius cum eidem legibus, cum quibus ordinatum ut supra, ejusdem loci populus Christianus regitur; Atque in hoc, magna dignoscitur scribentium lucta; Multis unam; Multisque alteram opinionem tenentibus; Adeo ut eadem Rota Romana, desuper variaverit in secunda tamen opinione, maturius persistit, ut dicto jure Mosaico jam evacuato, in rebus praesertim indifferenteribus, eodem jure quo alii vivunt, ipsi vivere deberant, juxta declarationes, de quibus in suis respectivè sedibus. Rot. deci. 316. post 2. vol. consil. Farinac. Coccin. deci. 676. repetit. deci. 414. par. 1. recent. Agitur tit. de dote disc. 132. & tit. de matrimonio disc. 15. ibique allegantur concordantes, & praesertim Ciriaco contr. 240. & sequ. & Farinac. in fragmen. verbo Iudei.

Ubi vero de iis controversiis agatur quæ Christianis quoque communes sint, adeo ut eosrum mixtura accedit, extra minorem controversiam est receptum, ut jure aliorum civium habeantur, non solum super Statutorum, aliorumque jurium usu arctativo & odioso, sed etiam super eodem favorabili in prejudicium Christianorum, & quamvis favor cuidam æquitati innexus sit, adeo ut generaliter in omnibus tam favorabilibus, quam odiosis, jure aliorum civium, & incolarum habeantur; Exceptis iis, quæ finem supernaturalem, ac meritam, & viam Christiana fidei concernunt, quorum ipsi sunt incapaces, locis citat. & tit. de servit. disc. 70. & tit. de dote disc. 132.

Quia vero aliquando, in Statutis localibus dispositum est, ut in eorum defectum ad jus commune recurri debeat; Hinc ista dispositione accende, intrat quæstio quæ inter scribentes, non parum controversia est, quale jus veniat, an scilicet illud particolare Civitatis dominantis, vel potius alterum, quod vulgo commune dicitur, constitutum ex legibus civilibus Romanorum, ut supra; Magis autem communiter recepta videtur opinio, juxta hanc secundum partem, scilicet jus commune Romanorum potius attendi debet. tit. de success. disc. 41. num. 187. remiss.

Ad illum autem casum mixtum DD. defensione non videntur, in quo scilicet, duplicitis Juris communis species, in eodem principatu, vel distinctione habeatur, quia nempe unum sit predictum & alterum constitutum ex legibus generalibus conditis per Primum supremum, quæ universo principatu sint communes, juxta superius recensita exempla; Istoque casu, facti potius ac voluntatis, quam juris ista quæstio videtur, de quo scilicet jure statuentes intelligere voluerint; Ideoque ante omnia ad facti circumstantias, pro

Card. de Luca de iudicio & judicialibus.

hujusmodi voluntatis indagatione, vel interpretatione recurrendum videretur, adeo ut ex eis, etiam in casu dictæ quæstionis cum Statuto particulari Civitatis dominantis, altera minus recepta opinio sequenda sit; Ad instar eorum, quæ in materia ultimarum voluntatum habemus; Sed quando factum non assilit, adeo ut cum sola dispositione vel præsumptione iuri procedendum sit; Tunc pro meo tensu, probabilius videatur, ut jus generale Regni, vel principatus (quod commune quoque dicitur) attendi debeat, dum magna differentia est inter istud, & alterum pariter municipale Civitatis etiam subditæ, cui dominantis titulus improprie tribuitur, ratione magis conspicui, seu quodammodo metropolici loci inter plura, quæ in eodem territorio vel districtu sint, dum huic juri non congruit terminus juris communis, ut congruit alterius; Ac etiam quia frequenter praxis docet, ut inter incolas Civitatis, & illos districtus, vel comitatus, quædam dignosei videatur æmulatio, quodque Comitatenses, quodammodo superioritatem æquæ subditæ Civitatis abhorreant; Ac propterea verisimile est quod in casibus, in quibus eorum lex particularis non provideat, potius recurrere voluerint ad illud jus, quod sit aliis commune; Sed hæc ratio non congruit legi universalis principiis, ut supra.

Super prædictarum autem legum respectivæ auctoritate, vel efficacia, quæstiones cadunt, & praesertim ubi agitur de localibus, seu municipiis, quarum respectu notabilis est differentia inter ius scriptum, quod statutarium dicitur, & non scriptum, quod dicitur consuetudinarium; Quando etenim de hoc secundo agitur, atque in eo veriscentur requisita, quæ in jure desiderantur in consuetudine contra jus, quia scilicet, cum actuum frequentia & populi consensu, accedit pacifica, & non interrupta univoca observantia quadrigeneria; Et tunc, etiamsi de Civitatibus, & locis subditis, quinimò inferioribus, & districtualibus agatur, illa attenditur, ac prævalet iuri communi, sive universalis, quamvis agatur de conuentudine contra jus, quoties ea non sit super iis, in quibus expresse reprobata sit, adeo ut corruptæ nomen mereatur. in annot. ad Concil. Tridentin. disc. 20. & alibi.

Ubi vero agitur de jure particulari scripto, tunc distingendo jus ecclesiasticum, à temporali; Quatenus pertinet ad ecclesiasticum, quod conditum sit per eum, qui superiorum recognoscet; Ut (ex. gr.) sunt Constitutiones synodales diocesanæ, vel provinciales, vel Statuta Capitularia, & similia; Et tunc attenduntur in iis, quæ sint juxta, vel præter jus commune, non autem contra, cum subdito non detur facultas corrigendi leges superioris, cum quibus ipse, licet invitatus, vivere tenetur; Nisi adaptetur ratio specialis confirmationis de qua habetur infra agendo de legibus laicalibus, de Constitutionibus synodalibus, ut non attendantur contra ius in annot. ad Concil. Tridentin. disc. 20. & infra disc. 37.

Quovet ad jus ecclesiasticum commune, id est pontificium; Respectu illius, quod in corpore juris canonici registratum est, sive in Conciliis generalibus; Super ejus efficacia, nulla cadit quæstio, illis locis exceptis, in quibus quoad ultimum Concilium Tridentinum, per Ecclesiam toleretur non acceptatio, vel non usus. in eisdem annot. ad Concil. Tridentin. & tit. de matrim. pluries.

Difficultates verò cadunt super novis legibus particularibus, quæ Apostolicæ Constitutiones, vel Bullæ dicuntur, an scilicet indigeant illi requisitis, quæ desiderantur in legibus laicalibus, publicationis scilicet cum certo termino taciti consensus populorum per usum, vel per non contradictionem intra dictum terminum. Farinac. in fragm. verbo lex, Sperell dec. 15. Pratus obser.

13. &amp; 14.

Verum pro regula est receptum, ut hæc requisita desideranda non sint ob eam differentia rationem, inter leges Pontificis, & aliorum Principum sæcularium, quod isti eorum potestatem metiuntur à populo, ille autem independenter à populo, eam immediatè metitur a Deo, ideoq; efficacia legis pendere non debet a populorum usu, vel cōsenſu; Potissimum quia, leges pontificiæ continere solent decretum irritans, & clausulam sublata &c. ex quibus insicuit quicunque contrarius usus, imò impeditur ne nascatur. tit. de alien. & contract. disc. 35. & alibi plures.

Adhuc tamen, his non obstantibus, quandoque verificatur, papalium legum tacita, sive implicita abolitio, quæ resultet ex non usu, vel usu contrario, quando ille sit talis, ut redoleat Pape, ejusque officialium versimilem scientiam, & tolerantiam, ex quibus resultet ejus virtualis, vel implicitus consensus, ex quo potius quam ex facto populi, & subditorum, dicta abolitio resultare dicitur. decif. 194. par. 4. rec. tom. 2. & advertitur plures alibi.

Quo verò ad leges prophanas, seu laicales; Respectu illarum, quæ insertæ sunt in corpore Juris ci vilis, juxta compilationem Iustiniani, nulla cadit quæstio, super earum efficacia, illis particularibus exceptis, quas usus non receperit; Ut exempli gratia est illa lex, quæ abolita dicitur in materia dotali per illam consuetudinem, quæ Martini dicitur, cum similibus.

Quia vero aliqui moderni Professores, græcarum literarum aliquam habentes peritiam, in Codicibus moderno tempore impressis, aliquas inferuerunt, ex eorum privata auctoritate leges, quæ ex græcis Imperialibus Constitutionibus de prompta sunt, Hinc oriri solet quæstio, an istæ vim legum habeant, probabilius autem est negativa opinio, ex rationibus alibi insinuatæ, occasione agendi de hujusmodi legum dispositione. tit. de servitut. disc. 1.

Ubi autem agatur de altera specie mixta, illius scilicet juris, quod dicitur commune, vel universalis in ipso Regno vel principatu, comparativè autem dicitur particolare; Ut (ex. gr.) sunt Constitutiones, Pragmaticæ, & Capitula Regni Neapolitani, & Constitutiones, & Decreta Sabaudiae, & Mediolanicas similes leges; Et tunc, Aut agitur de illis legibus, quæ jam in voluminibus inserta sunt, atque usu receptæ, & nulla pariter cadit ratio dubitandi, quoties non doceatur legitimè de non usu præscriptivo, qui in dubio non præsumitur, sed per allegantem est probandus. tit. de success. ab intest. disc. 26.

Aut verò de legibus, & Constitutionibus, quæ de novo fiant; Et tunc, juxta regulas generales juris communis, ad hoc ut obligent, requirunt acceptationem populorum, saltem implicitam per non contradictionem post publicationem infra certum terminum, apud allegatos supra lit. M. Adhuc tamen in hoc singulorum principatum stylis deferendum est, qui varii esse solent, ni-

mumque rari sunt casus in praxi, in quibus, legum proprii Principis contraventio, ex isto capite excusat.

Quo verò ad tertiam speciem illius juris, quod vere, & propriæ particulae, seu municipale, aut statutarium dicitur, quod scilicet ordinatum sit per Civitatem, vel locum, aut respectivè per Baronem seu Domicellum subditum, adeout desit jus regale faciendi, ac destruendi leges positivas. Et tunc, regulariter istis prohibitum est Statuta, & leges condere sine licentia proprii Principis; Potissimum verò in Stato ecclesiastico, ubi ultra generalem prohibitionem juris communis, habetur altera, quæ resultat ex Constitutione Aegidiana. tit. de success. disc. 23. & tit. de testam. disc. 30 ac propterea ut legis vim habeant, necessaria est Principis confirmatio, quæ duplex esse solet; Una scilicet expressa; Altera verò tacita seu præsumpta, quæ resultat ex longissimi temporis observantia, per quam generaliter extrinsecæ solemnitates præsumuntur.

Prima species confirmationis expressæ, subdividetur in duas alias species, quarum una dicitur in forma specifica; Altera vero in forma communis; Cum ea notabiliter differentia inter unam & alteram, quod quando est in forma specifica, tunc hujusmodi leges, vel Statuta attenduntur, etiam in iis, quæ sine contraria juri communis, ejusque correctoria, quoties confirmatione concessa sit per Principem supremum, cui competit potestas; Ubi verò sit in forma communis, tunc attendenda sunt, & valent solum in iis quæ sint juxta vel præter dispositionem juris communis, non autem contra. dicto disc. 25. de success. & tit. de Testam. disc. 30. Præterquam ubi statutum sit contra unum ius novum, sed juxta alterum ius antiquum ad quod fiat reversio ex aliqua juxta causa; Ut (ex. gr.) contingit in statutis excludentibus faminas, vel cognatos propter masculos, vel propter agnatos, cum similibus, dicto tit. de success. dicto discurs. 25. & dicto discursu 30. de Testam.

Quare frequenter in praxi disputari solet de ista qualitate, seu natura confirmationis, an sit juxta unam, vel juxta alteram speciem pro dictis effectibus exinde resultantibus; Atque ubi non constet de confirmatione expressa, adeout de tacita seu præsumpta agatur; Tunc regula est, ut censenda veniat in forma communis. Buratt. decif. 6. decif. 438. par. 4. rec. tom. 3. tit. de servitut. discurs. 71. & de dote disc. 143. Nisi bene justificetur observantia immemorabilis vel centenaria, cuius visus, juxta unius vel alterius censetur operationem, allegare licet quæcumque titulum de mundo meliore; Sive, nisi juxta considerationem, de qua supra agatur de legibus, vel Statutis illius Civitatis, quæ hodie sit subdita, de tempore autem quo ea condidit, effet in statu libertatis, atque se gereret pro Republica cum possessione omnium regalium, ac juris principatus, dum tali casu, subsequuta observantia inducit præsumptionem, quod novus Dominus, cuius subdita effeta est, durationi & continuationi legum, quas jam habebat, atque de tempore habili ordinaverat, præbuerit assensum de facile præsumendum eo ipso quod non constat de revocatione, sed potius de aliqua observantia, quæ isto casu dicenda venit potius interpretativa, quam præscriptiva; Ideoque ad tempus ordinationis nimium reflectendum est.

Acc.

Accidente autem confirmatione expressa, cuius existentia cessare facit omnem præsumptionem (dum hoc non intrat in claris, & expressis) Et tunc confirmatio in forma specifica, ea est, quæ sit in seruo rei confirmata, alias dicitur in forma communis. Coccin. dec. 1573. & 1763. dec. 222. par. 7. rec. & in aliis proximè infra.

Aduic tamen datur casus, ut absque tenoris insertioni dicenda veniat in forma specifica, ubi scilicet, iuxta commendabilem Curiae stylum, commissa fuerit revisio, & discussio statutorum seu Constitutionum alicui Congregationi, vel Magistratu, ad cujus relationem, causa cognita, postmodum confirmatione concessa sit. Sive quod alias ex facto, verè, non autem ex sola clausula apponi solita, constet de scientia omnium, quæ continentur in legibus confirmatis, spectata principaliter ratione, cui ista distinctio innixa est; Quod scilicet sciens Princeps, legem esse juris communis correctioriam, adhuc eam confirmatione, arque observari voluerit, cum tunc juris communis correctio non proveniat à statuente, seu à legislatore, qui talem non habet potestatem, sed potius à confirmante, si tamen ipse illum habeat. dec. 192. & 210. par. 1. rec. dec. 166. par. 5. dicta dec. 222. par. 7. Spad. conf. 38. l. 2.

<sup>64</sup> Ita autem distinctiones, parviter procedunt in omnibus aliis legibus magis particularibus, quæ ordinantur per inferiores, vel subalternas Universitates, superius quoque insinuatas; Puta per Capitula Cathedralium, & Collegiarum, sive per Collegia, vel Universitates artium, vel professionum; Aut per Confraternites &c. dum istis conceditur solùm facultas ordinandi leges & Statuta in iis quæ concernunt eorum regimen & economicum, vel etiam civile honestum, & juri non contrarium, neque tertio prajudiciale; Ad instar illarum legum, & ordinationum, quas quilibet privatus paterfamilias in ejus domo cum ejus familia faciat; In aliis vero requiritur confirmatione juxta supradictas distinctiones. Buratt. & add. dec. 758. dec. 337. par. 5. 115. par. 6. 32. & 107. par. 7. dec. 317. par. 10. add. ad dec. 20. par. 3. rec. in quibus de mater. statut. Capitular.

Procedunt hæc, in ordine ad vim, vel necessariam observantiam juris scripti, vel non scripti, quod legitimum & obligatorium dici valeat; Ubi vero, posita ista qualitate, de ejusdem juris ambiguï interpretatione agatur; Et tunc observantia in primis attendi debet, dummodo tamen ea univoca sit, & uniformis, per aliquod tempus considerabile, & cum considerabiliter frequentia actum, juxta subjectam materiam, aliasque facti circumstantias; Nimirum etenim observantie deferendum venit, ex vulgari, atque in praxi frequenti propositione, quod observantia dicitur optima Interpres, & interpretationum regina, adeo ut verborum etiam proprietati, vel grammatical significationi prævaleat; quoties tamen agatur de legi dubia, cui congruat terminus observantie interpretativa, qui non datur in lege clara & expressa, sed requiritur diversa observantia præscriptiva, cum rigorosis requisitis prescriptionis, vel consuetudinis contra jus, tit. de dote discr. 143. tit. de alienat. & contract. discr. 1. decr. 59. par. 10. rec. tit. de success. ab intest. discr. 15. & sep. 5.

Cessante autem isto modo interpretandi, adeo ut agatur de interpretatione facienda per Iudicem; Tunc communis distinctio adhiberi

Card. de Luca de judicis & judicialibus.

solet generaliter, inter jus commune, & jus statutarium, seu municipale. Ut scilicet primi tamquam favorabilis, lata, & benigna interpretatio fieri debeat, attendendo rationem, ob cuius identitatem extensio ad casus omissos admittatur, ut etiam admittuntur illationes, vel inductiones, sive argumenta a contrario sensu; Ista vero omnia denegantur dicto alteri juri particulari, seu municipal, quod odiosum, ac exorbitans reputatur, ideoque strictam, ac rigorosam recipit interpretationem, ut quominus fieri potest, corrigat jus commune, vel ab eo deviet, ac propterea ad illud, in cau omissio, vel dubio est recurrendum; Stricte, nimirumque rigorosè per quandam speciem judicis, prohibita extensione, quamvis identitas, vel majoritas rationis, eam suadeat, quasi quod non nisi ad præciosos limites verborum attendi debeat, ut latius advertitur in materia intestata successionis, ubi peculiaris hujusmodi legum sedes esse videtur. tit. de success. ab intest. d. discr. 15. & in aliis.

Verum ut supra advertitur, parum probabilis est haec generalis distinctio duorum tantum generum, juris communis scilicet, & particularis, cum reflectendum sit ad dictum alterum genus mixtum illius juris, quod conditum sit a proprio Principe, sive a Civitate habente jura Principis, quod dicitur particularē, comparativē ad alias mundi partes, sed in proprio principatu, est commune, ideoque sub prima dicta distinctonis parte potius cadere debet, quam sub altera.

Quinimò etiam respectu alterius juris vere municipalis, quod cadit sub dicta secunda parte distinctionis; Aduic pro meo iudicio parum probabile videtur atque species est judicis, cum dicta generalitatē procedere in omni casu, cum potius subjecta materia id regulare debeat, vel latius in dicta successionum sede, ac alibi advertitur. d. tit. de success. ab int. discr. 1. & 15. & in aliis.

Ubi autem agatur de interpretatione juris communis Civilis, vel Canonici, quod ambiguum sit, seu varios recipere valeat intellectus; Aut quod casus controversiæ, non sit expresse ad uno, vel ab altero jure decisus; Et tunc recursum est ad interpretationes Doctorum, vel decisiones Tribunalium.

Ad id autem hodie frequentius restringi videntur Iudicis partes; Nimirum enim rari sunt casus, in quibus leges adeo clarae habeantur, ut ad DD. auctoritates recurrere non oporteat; ubi etenim casus expresse, & clara decisus est a legi, quæ necessariam facit auctoritatem, tunc non de facili ad contentiosū iudicium, ille deducitur

Id autem provenit; vel ob immutatos mores; Vel ob immutatum usum lingua latina in eo adeo longo intervallo plurium seculorum, inter legum ordinationem, & inventionem, seu restitutionem, unde propterea leges a primis Interpretibus varios receptorum intellectus; sive quod illos, quos dicti primi dederunt, moderniores in lingua latina magis eruditii, erroneous convincere voluerint; Vel (& frequentius,) quod mixtura, sive alteratio circumstantiarum, omnes penè casus, ita mixtos, vel alteratos reddat, ut non de facili legum litera, cis adaptetur; Prout etiam pleraque quæstiones, ex Interpretum potius subtilitatibus, vel considerationibus ortæ sunt, ut potè non decisæ per leges, quæ per diversarum opinonum sequaces eis, quamvis diversis, parviter adaptentur.

Atque hinc prodiit, quod ista facultas ad propositiones seu conclusiones redacta sit: cum quibus procedi videretur, penè neglecto legum, vel textuum studio; Non quod legum auctoritas, etiam hodie, omnium melior, ac necessaria non reputetur; Sed quia, easdem leges, carum Interpretes diversimode intellexerunt, vel applicarunt; Unde propterea obscurum remanet quid verè lex disponat; Idque non de facili percipiunt ii, qui in sola rerum superficie discurrentes, omnia scire prætendunt, cum nihil sciant, ac propereare darguere solent modernorum legistarum usum, quod in judicando, vel consulendo, cum textibus non procedant; Siquidem in hoc est punctus quæstionis, quid se-textus velint, ac decidant, sive ob aliquam eorumdem contrarietatem, quam Juristæ, antinomiam appellant.

Fortius verò quia mixtura totiurum nempe; Civilis, Canonici, Feudalis; Et duplicitis particularis ut supra; Ac etiam mixtura quarumdam consuetudinum generalium, quas ex traditionibus antiquorū DD recipitas habemus; Et alia mixtura cuiusdam non scripta canonica æquitas, produxit in ista facultate quoddam mixtum, quod de omnibus participat, adeout, ex aliis insinuat, si Papini & Vulpiani, aliisque illorum temporum Jurisconsulti, quorum responsa tanquam leges hodie veneramus, resurgent (quid quid sit in scholis & academis,) in foro tamen prædicto, inter idiotas connumerari merentur, atque de facili quoilibet novitio Sollicitatore, (ut vulgo dicitur,) ponerentur in sacco; Idemque forte; Aristoteli; Et Platonis, Hypocrati, & Celsi, aliisque antiquis aliarum facultatum professoribus, quos tanquam magistros veneramus, continget; Quinimò in hac facultate etiam in ipsissimis modernioribus magistris; Acurio; Azzone; Cyro; Bartolo; Baldio; Innocentio; Io. Andreas, & similibus; Talis est temporum ac mundi rerum vici studio Omnes etenim Scriptores inter se variis, vel contrariis, leges, & textus adducunt, imo quandoque eosdem, eo quia quælibet partium proprio sensu adaptare velit, ideoque impossibile est cum illis tantum procedere; Non per hoc tamen eis omnino neglectis in sola traditione DD absque aliquo examine legum procedendum est, ideoque vitium est in utroque extremo.

In hoc igitur conflictu, seu ambiguitate; Primum locum occupare debet, judicandi receptus stylus in eo Tribunali, in quo controversia pendeat; Sive in eo Tribunali majori, à quo necessariam dependentiam habeant alia, in quibus causæ pendeant. De styllo judicandi Rovit, conf. 18. lib. 1. Franch. dec. 9. 1. 2. 3. & 7. 2.

Verum advertendum est (ne incidatur in æquivoca) quod alias est judicandi stylus; Et alia est auctoritas aliquarum decisionum, quæ à Tribunalibus prodierint; In hoc etenim versari solet, æquivocum aliquorum, qui istos terminos confundunt; Siquidem judicandi stylus propriè est ille, qui, juxta unam opinionem, ad minus per duas judicaturas, juxta verò alteram, perplures ita inductus sit, in aliquo articulo dubio, quia generaliter, ac in abstracto pro quibuscumque casibus illud Tribunal sive illius Civitatis vel Ditionis Tribunaliacam, & non alteram sequuntur opinionem in articulo ambiguo, qui habeat opinions, ac rationes hinc inde proxime supra; Ut puta (ex gr.) In materia interessè lucri cessantis vel damni emergentis; Curia Romana genera-

liter tenet opinionem, ut justificari debeant requisita in quolibet casu præciso; Alia verò Tribunalia, & præsertim laicalia, fortè pro majori parte tenent, ut sufficiat justificatio generica, sive illa, qua notoria reputatur tit. de usuria pluries. Sive in quæstione, an filii in conditione positi censeantur vocati, multa Tribunalia, & fortan pro majori parte tenent negativam; Alia verò, & præsertim in Dominio Veneto, sequuntur affirmativam, cum similibus tit. de fiduciam commiss. disce.

73. Quinimò ista diversitas dignoscitur etiam inter Tribunalia ejusdem Civitatis; Puta in quæstione, an pro legato competat via exequitativa; Rota tenet opinionem negativam Alexandri; Et tamen Auditor Cameræ, & Signatura, aliaque Tribunalia, sequuntur opinionem Angel. tit. de legatis disce. 6. Sive in materia cap. Odoardis, Tribunalia Auditoris Cameræ, & Rotæ habent unum stylum magis rigorosum, illud non admittendi, quando adit obligatio cameralis, vel quod debitum sit culposum; Tribunal autem Vicarii il lud faciliter admittit tit. de credito disce. 1. 19. cum similibus.

Item alii dicuntur stylus in judicando, qui respiciunt decisoria; Et alii dicuntur stylus in procedendo, qui respiciunt ordinatoria; Atque inter eos ea præsertim notabilis dignoscitur differenti circa modum probationis, quod scilicet illi qui respiciunt ordinatoria, facilius probantur per attestationes Curialium, seu Causidicorum, & Notariorum. Buratt, & add. decis. 1. 2. 4. & 7. 5. dec. 4. 2. 7. par. 9. rec. Illi vero qui respiciunt decisoria, indigent formali & exacta justificatione, & potissimum cum frequenta rerum judicatarum, sive quod stylus sit notioris ex aliquo decreto generali, vel reiterato testimonio ejusdem Tribunalis in ejus decisionibus; Ut præsertim (ex gr.) habemus in ea quæstione, an obligatio de proprio, facta per hæredem, tollat beneficium inventarii, quoniam variis varia tenent, sed Sac. Consilium Neapolitanum, cum quodam decreto generali quod dicitur quatuor aularū, se declaravit sequi, & canonizare, opinionem negativam de hoc agitur tit. de dote disce. 2. 8. & tit. de hæreda disce. 8. Id etenim non continent legem (ut pragmaticorum ignorarum vulgus credit, quoniam Judices non sunt legislatores), sed continent firmam declarationem stylus judicandi, cui inferiora, & subordinata Tribunalia se conformare debent.

Secundum locum, præcedenti valde proximum, ob rationis identitatem, vel proximitatem occupant decisiones, que occasione consimilium controversiarum, prodierint in eodem Tribunali, in quo causa vertitur; Sive in altero majori, cui illud, in quo causa penderit, subordinatum esse debeat, quoniam licet exemplis non sit judicandum, neque par in parem habeat imperium, unde propterea judicium sedentium uno tempore, vel in una aula, ligare non debet eos, qui diverso tempore vel in diversa aula, seu turno in eodem Tribunali sedent; Adhuc tamen ista dicitur doctrina majoris ponderis, majoris que auctoritatis, quasi per quandam stylus indicacionem, aut initium, de auctoritate decisionum Tribunalium affl. dec. 9. 6. & 1. 9. Capic. Latr. consult. 6. Scaccia de sent. & de re jud. gl. 4. quest. 2. 4. Niger de landem tom. 1. quest. 45.

Tertium locum occupare debebunt eadem aliorum magnorum Tribunalium Collegiatorū deci-

decisiones, quatuorvis iudex, vel Tribunal, in quo causa penderet; nullam ab eis habeat dependentiam, quoniam in concurso auctoritatum singulorum seu privatorum DD. longe magis, & absque dubio auctoritatem est illud plurium in simul congregatorum judicium quod prævia disputationis trutina, previoque illo lumine, quod ab Advocatis, & defensoribus, hinc inde scribentibus habitatum est, cum solis sensibus veritatis, & justitiae prodierit, ut in dubio est præsumendum.

Quartum locum, ob aliquam rationis partatem, occupare debebunt illa vota, quæ per singulos iudices, ad instar decisionum, quas edunt Tribunalia collegiata, edita sint, dum pariter cum eodem sensu veritatis, & justitiae, qui in dubio præsumendum est, atque prævio dicto lumine, quod ab Advocatorum, & defensorum certamine recipitur, prodierunt; Et quibus votis; aliqui ceteri vel temere, vel imprudenter, deciditionum titulum, vel nuncupationem tribuerunt; Magis vero temere, vel imprudenter illi, si qui sint, qui hunc titulum tribuant privatis annotationibus, absque dicta qualitate judicaturæ.

Minor tamen erit hujusmodi votorum, vel singularium decisionum auctoritas, quam sit illa Tribunalium collegiorum, ob eam rationem, ob quam fides praestanda est pluribus testibus contestibus, quam unicop; prout etiam inter ipsas met decisiones Tribunalium collegiorum, dico, nescitur eadem differentia, majoris vel minoris auctoritatis, quæ habetur inter ipsos met testes, tam ratione numeri, quam ratione qualitatis personalis; Sive ob maiorem, vel minorem causæ scientiam quam assignant. *supra disc. 32.*

Quintum locum, consequutivè, & ex quadam paritate rationis, occupare debent Responsa decisiva, seu pro veritate; Sextum traditio DD. in lecturis, vel in tractatibus, ut potest ad solam veritatem; Septimum (cum modica tamen, & tali quali fide) Consulentis ad causarum & requirentium oportunitatem, cum ista dicatur doctrina suspecta; & venalis, ideoque justitia ac Reipublicæ præjudiciale; Ideoque pro meo iudicio perniciose reputatur, ut publica luci sub nomine responsorum seu consiliorum, aut forensium controversiarum, seu disceptationum, ædantur illæ informationes, quas Advocati conducti ad causarum defensionem, & oportunitatem coram Iudicibus fecerunt; Ultimum locum cum penè nulla auctoritate tribuendum esse videtur simplicibus Collectoribus, vel Repertoriis qui absque aliquo discursu, vel proprio iudicio transcribunt, vel referunt, dicta aliorum.

Et quoniam in plerisque articulis, vel quæstiōnibus adeo Scribentes in copioso numero per classes divisiti sunt, ut vix dignoscivaleat, quænam sit communis, vel magis communis, adeo ut aliqui laborem assumpserint, conficiendi volumina super communi contra communem; Atque alii in hoc proposito statuant terminos grammaticales, positivi, comparativi, & superlativi; Nempe communis, magis communis, & communissimæ; Hinc proinde, solent moderni professores cum magno improbo, & nauseativo, (ut dici solet) humororum labore, absque aliqua ingenii operatione, vel parte, facere collectaneas Doctorum per quandam speciem catalogi, seu litanie ad effectum ostendendi quod major numerus eis assistat, non distinguendo species, vel qualitates Doctorum, vel dicta, an scilicet sint

*Card. de Luca de iudicis & judicialibus.*

de illis, qui fundate, & per rationes in forma discursiva id afferant, vel potius collectores, aut simplices relatores, vel loquentes obiter, & ad alium effectum sive in consiliis venalibus, cum similibus ponderationibus, qua haberi debent, adveritur in relatione Curie agendo de *Advocatis, & Procuratoribus, & de modo scribendi disc. 46.*

Minusque ponderando id quod principaliter, ac omnino ponderandum est etiam super decisionibus, & auctoritatibus classificis, multo vero magis ubi agatur de consiliis suspectis, ut scilicet fiat combinatio circumstantiarum casus, de quo decisiones, vel auctoritates agunt, an sint exdem, adeo ut congruent casui controversia, sive an id quod continetur in decisione, vel in alia auctoritate, sit principaliter firmatum, in eo quod erat in questione, vel potius obiter, & ad ornatum, cum in his non dicantur decisiones, quæ solum esse dicuntur in eo de quo est principaliter disputatum. *Seraphin. dec. 299. dec. 17. par. 7. rec. 285. par. 9. Bich. decis. 480.*

E converso autem, alii videntes sibi obstat majorem numerum auctoritatum, quodque eis magis afflunt rationes, assumunt disputationem questionis, an auctoritatibus potius, vel rationibus deferri debeat, & è contraria. Atque in magnis Tribunalibus, præterim vero in Rota, magis recepta est secunda pars, ut sc. potius rationibus deferendum sit. *Franch. & add. dec. 30. dec. 163. par. 7. rec. cum aliis per add. ad. dec. 460. par. 4. rec. tom. 2. ex num. 8.*

Istæ autem, vel similes questiones, quareretis a seculo, vel etiam initio currentis, frequenter haberi consueverunt, hodie à toro quodammodo exulasse videntur, ac propterea (ut agendo de *Advocatis, & de Consulentibus, vel de modo scribendi, advertitur,) inanis, ac improbus inceptusque labor est, inanisque repletio chartarum, cumulare auctoritates, quoniam ex Tribunalium determinationibus, vel ex magis recepto Modernorum sensu, pene omnes illæ questiones, quæ prius adeo erant involuta, ita ut aliqui cum confusa leguleica simplicitate dixerint, eas Cæsarea decisione indigere, vel cum singulari certamine decidi debere, sunt iam sotipæ. Dum una opinio, quæ tanquam probabilior magis communiter moderno tempore recepta sit, statuta videtur pro regulâ; Altera vero pro limitatione, quæ ex diversâ voluntate, vel ex aliis particularibus circumstantiis derivet, ut in omnibus materiis advertitur, præterim vero frequentius in illa ultimâ voluntatum pene generaliter experimur, ideoque tota vis, vel peritia Iudicis, consistit in bene applicando activa passivas, combinando facti circumstantias, ex quibus iudicium efformandum est, an potius cum regula, quam cum limitatione sit procedendum.*

Et quod magis est, neque in hujus iudicij formatione, super circumstantiis, certa regula statuit potest cuiuscumque casui applicabilis, quoniā pro di versitate locorum, temporum, personarum, & caliorum accidentium, stant bene simul ut in uno casu, uno modo bene iudicatum sit, & tamen in altero, qui identicus videatur, diversimodè iudicari debeat; Sive quod juris regulæ, vel conclusiones, in una decisione, vel Responsio contentæ, ibi bene congruant, & tamen incongruant alteri casui de quo agatur, & super quo allegantur; Multories enim præbet casus, atque frequens praxis docet, ut verificetur medicorum propositio, quod pulsus sit bonus, urina bona,

150

D E I V D I C I S.

bona, aliaque signa sint bona, & tamen æger tendat ad mortem; Sive quod ea, quæ prodcisse solent, & debent, non proficiunt, inòe noceant; Siquidem sèpùs praxis docet, quod causa consistat in aliquibus conclusiōibus, vel regulis, quæ omnes afflstant uni Partium, illæque vera & recepta sint; Et tamen quod illa facies causæ, quæ refultet ex tota facti massa, simul considerata, suadeat contrarium, juxta plures casus particulares, quos in singulis materiaiis recensere occasio præbuit.

**81** Atque hinc sequitur, quod in Judice, unitæ  
desiderantur tot partes, quæ alibi recentitæ sunt  
occasione agendi de boni Judicis idea; Nempe,  
integritas, doctrina, judicium, sagacitas, pruden-  
tia, & experientia in relatione Curie disc. 3. 2.

Ideoque ut alibi quoque advertitur *sit de fiduciō commiss. disc. 25.* Judices vel Consulentes pro veritate, dicendi veniunt pictores operis musivi, qui componunt imagines ex multis partibus lapidibus, qui disiunt atque habent suos bonos colores, suamque perfectionem in genere suo, sed nihil ostendunt, cum eorum conjunctio requiratur, ita quod non semper eamdem facit operationem, dum si idem lapides, eamdem habent aptitudinem, ad efformandū effigiem Angelū, ac illam diaboli, sive illam hominis, ac illam asinī, vel bovis. Quinimò ubi etiam Pictor illos componat pro certi hominis effigie efformanda; Adhuc tamen, nisi sit bene peritus in arte, stant bene simul, ut efformant effigiem hominis, cum omnibus membris humanis, bene & symmetrice dispositis, & tamen quod non repræsentet illum de cuius effigie efformanda agitur, quia desit similitudo sive aptitudo, aut vulgo dicimus, aer illius vultus, quod est quid intellectuale, & non aptum, ut describatur; itaque resultat ex illa universa massa seu compositione; Ita pariter in causis, quoniam regulæ juris, & doctrinæ, sive probationes, & circumstantiae facti, sunt lapides, ex quibus figura componenda est; omnesque confluunt, beneque in idem tendunt; Et tamen, quædam non scripta aequitas naturalis, sive quædam repugnantia humana rationi, seu versimilitudini, frequenter cogunt ad sentiendum contrarium, quodque revera in contrarium sit veritas; Ideoque ars judicandi, super omnes alias dicenda est ars artium, & scientia scientiarum cum sola doctrina, sive aliæ animi dotes disiunt & nihil pro sint.

Item licet in foro externo practico, seu foren-  
si idealis esse videatur quæstio, adeo apud The-  
ologos morales disputata pro foro interno, ar-  
8 scilicet lex dicatur effectus voluntatis, & potes-  
tatis tantum legislatoris: Vel potius effectus  
justitiae, & rationis, contra quas proferte non li-  
ceat, unde propterea de consequenti manat de-  
ciso quæstionis: an subditi possint impunè sper-  
nere legem proprii Principis vel superioris ei-  
que contravenire; Dum in casu legis clara, atque  
in Tribunalibus dependentibus ab eodem legis-  
latore, in foro externo, istius quæstionis dispu-  
tatio non admittitur ex forensium assumpto  
quod ideo dicitur lex, quia licet dura servanda  
est; Adhuc tamen dicta quæstio considerabilis  
est, ad effectum congrua interpretationis, vel  
applicationis ejusdem legis pro casu particula-  
ri, de quo agitur, ut ex ratione fieri debeat.

Multò verò magis , ubi non agatur de lege,  
quæ auctoritas necessaria dicitur sed de doctrina

punctuali, quæ ut Practici dicunt, in casibus in  
jure non provisis haberi debet in judicando pro  
casu legis. *tit. de fideicommissis* 74 & 108. Quo-  
niam procedendum non est cum cæca fide ge-  
neraliter super applicatione hujus propositionis  
cuicumque casui, vel respectivæ id attenden-  
do in quacumque doctrina, sed diligenter inqui-  
rendum est, an ea sit benè fundata, in principiis  
generalibus juris, à quibus non deviet, sive cum  
quibus praefuppositis, vel qua occasione, aut ad  
quem effectum ille Doctor, vel illa decisio lo-  
quatur, & an benè applicetur.

Pariter in metienda auctoritate Doctorum,  
qui in magno numero, super quæstione, quæ ad-  
huc pendeat indecisa, deduci solent; proceden-  
dum non est cum eorum sola numerationearith-  
metica, ut ineptum, ac plebeum pragmaticorum  
vulgus facere solet; Sed distingueda sunt eo-  
rundem qualitates, seu classes ut supra; Atque  
in singulis classibus, reflectendum est ad perlo-  
nales qualitates singulorum Doctorum, quo-  
rum vita historica descriptio apud posterita-  
tem, ad hunc effectum nimium proficia est; Si  
quidem juxta dictas regulas, quas habemus super  
fide testibus danda, non est parvum iter aeti-  
mandum testimonium yiti nimium qualificati-  
niumque periti in ea re de qua deponit, & qui  
bonas, atque concludentes scientiae causas addu-  
cat, sicuti testimonium alicujus pueri, vel stoli-  
di, aut inexperti, sive loquentes de auditu aut ex  
propria erronea credulitate, sive suspecti de af-  
fectione; Ideoque ponendi non sunt in calculo  
illi DD. exteri, qui loquantur juxta leges, vel  
stylos, aut opiniones receptas in illis regioni-  
bus, & Tribunalibus, in quibus ipsi versati sint, si  
in loco controversiæ vivatur cum diversis legi-  
bus, vel stylos, aut cum diversis opinionibus;  
Sed in piciendis sunt DD. qui loquantur, præ-  
suppositis, vel retentis illis terminis, cum quibus  
decidendum est casus controversiæ, cum simili-  
bus considerationibus, eo modo quo sit in testi-  
bus.

Prout, etiam inquirenda est origo alicujus propositionis, quam plures DD. firment, cum saepius id provenire soleat, ex virtute, quod avibus, vel ovibus est commune, quod scilicet una alteram insequatur, dum frequenter principium est vitiostum; Vel quia ille primus, a quo traditio derivet, & cui per Iuristas *Antesignani* vocabulum tribui solet, in effectu aliud dicere voluerit; Vel quia constet, quod ille inconsideratè id dixerit, contra juris principia; Unde propterea adaptetur idem simile, quod habemus de testibus de auditu, quod scilicet si sint centum, vel mille deponentes de voce originata ab uno, non valent, nisi pro uno; Atque si convincatur, quod ille primus non dixerit, vel quod ad alium finem, five quod male dixerit, tunc omnes alii corrunt, atque habentur, ac si non essent; Et hinc est casus.

Hinc proinde, in ista facultate, præcise neces-  
saria est peritia theorica per sua scholastica 85  
principia; eo modo quo Iustinianus præcepit;  
Non quidem, ut cum scholasticis subtilitibus,  
vel stylis, in judicando procedi debeat, cum hic  
magnus error esset, atque ut plurimum subtili-  
bus scholasticis, omnino incongruus sit fo-  
rus practicus; Sed ut bene callentes regulas, ac  
principia juris, dignoscere valeant, an ille Au-  
tor, bene, ac fundate loquatur, necne, ut existi-  
mari

mari, vel parvipendi mereatur, cum quilibet scientia habeat sua principia, à quibus per professores deviari non potest; Si etenim detur philosophus Auctor, qui affirat, quod ignis sit frigidus, & humidus, & quod aqua sit secca, & calida, tunc ille, qui non habebit principia scientia, sed clavis oculis procedere cogitur cum sola fide, ejus quod invenit scriptum, id credet, atque cum hoc presupposito pertransibit. Verum talem auctoritatem irridet ille, qui sit scientificus philosophus, dum agnosceret, quod id repugnat principiis, cum similibus; Ideoque mea est consuetudo dicendi, quod nunquam dici meretur Doctor, vel Juris Professor ille, qui legendo auctorem aliquid expresse firmantem, non cognoscat ex sola lectura, an bene, vel male loquatur, idque sine scientia principiorum sequi non potest.

Potissimum vero reflectendum est ad distinctionem plurium, ac diversorum casuum, qui sub unico generico articulo, vel sub una questione cadere possunt: quoniam frequens praxis docet, quod ex centum auctoritatibus, quae super aliqua propositione cumulari solent, bene distinguendo casus, eorumque circumstantias, vix reperietur una, quae bene concludat; Quinimodo plures retorqueri possunt.

Demum circa leges novas & particulares; reflectendum est, an lex adaptetur casui de quo agitur, quia forte trahat causam a præterito, ex regulari natura novæ legis, ut trahatur ad futuram, non autem respiciat præterita; Nisi ea prodierit per viam declarationis casus dubii, cum tunc etiam præterita percutiat. *decis. 9. par. i. sec. late Farinac. in fragmen. verbo lex ex num. 5. 1.* Sive an sit lex revocata, vel moderata, cum ista quoque aliquid attendi solet, vel tanquam doctrina magistralis, aut pro declaratione, vel interpretatione legis novæ.

Atque circa stylos Tribunalium, diversæ inspectiones cadunt: ut supra quoque insinuantur; An scilicet respiciant ordinatoria tantum, vel etiam decisoria, tam ad effectum facilitoris vel difficultoris probationis ut supra, quam ad alterum, an practicis debeat cum non subditis illius, fori eo modo quo superius de legibus dictum est; Sive ad effectum alterius questionis, de quo particulariter infra, agendo de exequitione & exequitore, an scilicet iste in exequitionis consumatione, vel in alterius delegationis exequitione, servare debeat stylum proprium, vel potius illum Iudicis causa principalis, seu delegantis, cum similibus. *infra disc. 40.*

Mixtura quoque subditorum, & exemptorum, in eodem iudicio, in legum præsertim municipiūm praxi, magnas questiones parere solent, de quo in suis respectivis sedibus agitur; An scilicet, & quando exemptus à foro, ac potestate legislatoris, subjaceat ejus legibus, ad quarum observantiam teneri debeat, saltem in via directiva, si non coactiva, ob fomentum legis naturalis, sive ratione publica necessitatis, vel utilitatis; Sive, quando usus legis principaliter habeatur cum proprio subdito, quamvis accessoriis, vel consequentiis influat in non subditum, cum similibus; Super his autem pene impossibile est certas statuere regulas generales, quibuscumque casibus, & quibuscumque locis indefinite applicabiles, non solum quia singulorum casuum diverse circumstantiae, etiam in eodem loco, in

quo cum eisdem legibus, & stylis vivatur, magnam judicii diversitatem cauflare solent; Sed fortius quia, ob adeo magnam, & multiplicem dominiorum, & principatum diversitatem, quæ inter Christianos viget, (& quæ etiam in politicis, Christiano nomine, & Fidei adeo præjudicialis est, tantamque licentiam tribuit ejusdem Fidei hosti, cuius Imperium est unitum) adeo quæ magna legum, & stylorum diversitatem induxit, ut etiam interdominia adjacentia, Quinimodo (quod magis est) inter ejusdem Principis vel principatus provincias, vel membra adeo magna dignoscatur differentia, ideoque pro singularum locorum moribus, & legibus, vel respectivè pro singulorum casuum circumstantiis iudicium efformandum erit. *de huius. de dote disc. 143. & tit. de success. disc. 6. & tit. de alienat. & contract. pluries, ac etiam in Miscellan. Eccles. disc. 41.*

Hinc proinde, ad istum effectum, semper inculcanda est necessitas partis scientificæ in Iudice, habendi scilicet hujus facultatis peritiam, theoreticæ, & per sua principia, ad effectum, ut illis deservientibus pro lumine navigantium, ab istis pro qualitate locorum, & navium, ac temporum, bona navigatio applicationis fieri valeat; Et è converso, perpetuo damnandus, ac declamandus est modernus pragmaticus stylus, constituenti scientiam, cum solo lumine reperi toriorum, in solis doctrinis, vel decisionibus, vel in notitia conclusionum perolas traditiones, atque procedendo cum earum generalitate, sive cum doctrinarum sola litera, dum exinde tot resultant æquivoca, justitiae, ac veritati præjudicia, frequenter capiendo quid pro quo.

Super premissis autem, ac super aliis, quæ in ista materia cadunt, impossibile est certam normam seu regulam dare, nisi in Iudice omnium prædictarum partium bona unio accedat, quæ sine magna experientia non de facilis haberi potest; Ac propterea lex damnat eorum promotiones per saltum; Minusque possibile, vel de facili practicabile videtur, ita incidenter ad aliquam Iudicis instructionem, reliqua omnia referre, quæ circa præmisita, vel similia cadunt, cum vix in magnis voluminibus, ille qui in aliis occupatus non est, id explere posset; Ideoque ista ita solum indicasse sufficiat; Alia vero habentur in aliis locis, & sedibus supra insinuatæ; Et si ibi quoque desint, laborent, ac perquirant qui cupiunt, vel suppleant illi, qui melius fieri debere credant.

De sententia diffinitiva, vel interloquutoria; Et de utriusque diversa forma, & effectibus, ac de sententiae justificazione ex actis:

#### S V M M A R I V M.

**I** De generali significatione hujus vocabuli sententia.

**2** Judicialiter quid in praxi significet.

**3** Per sententiam diffinitivam iudex dicitur functus officio suo, ejusque jurisdictio expirat si sit valida, sed si sit nulla, eam retractat.

**4** Etiam si sit nullitas, qua resultat ab injustitia notoria.